AZ.
ELE III
2

TEOLOGIA LITURGICA
162
M
21.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
M
21
NAPOLI

71
B
41

JOH. DOVGHTEI
Theologi & Philologi
Anglo - Britanni
celeberrimi,
De

CALICIBVS EVCHARISTICIS
Veterum CHRISTIANORVM
LIBER
Plane Singularis,

cum

JOHANNIS FAES
Præfatione, Marginalibus, &
Mantiſſa

e
M. S.
Primo in Germania
editus.

BREMÆ,
Sumptibus PHILIPPI GOTHOFREDI SAURMANNI, Bibliopolæ. MDCXCIV.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

JOHANNES FAES
Lectori benivolo & erudito, ſtudiique antiquitatum amatori excitato

S. P. D.

QUum nihil vel utilius, vel jucundius ſit, memoria antiquitatis, non eſt quod in eo genere ſtudiorum rectius occupatorum operam & induſtriam iniquiori judicio experiamur. Quod ſi enim ii, quos publica ædificiorum vetuſtiorum cura tangit, ſuis laudibus in republica merito exornentur, non eſt quod iis laureolam invideamus, quibus amœniora veræ antiquitatis ſtudia curæ ſunt.

Equidem! rerum geſtarum memo-

riam paullo altius repetentibus, non poteſt non de proemiis a Senatu populoque Romano in eos collatis oppido conſtare. Hæc quippe omnis ætas hiſtoriæ Romanæ etiam atque etiam deprædicat, & ſummis in cœlum laudibus ubiq; ita effert, ut pulcherrime hoc genus officii ſibi feneratum dicere poſſint.

Et ſane! ſi, quod res eſt, fateri liceat, neſcio qui vetuſtatis amor occultam quamdam ſvavitatis vim ſpiret, quæ, ſi quemquam ſemel ceperit, eum non facile ſui amore excidere patiatur. Multorum annorum vetulæ edentulæ non quidem in deliciis eſſe ſolent, ſolent tamen numi earumdem formam & faciem referentes. Hi quippe non minus jucunditatis, quam admirationis apud ſui amatores habent, & magni iisdem eorum vetuſtas æſtimatur.

Verumenimvero, quid eſt, quod harum rerum antiquitatibus enarrandis immoremur? Cadavera ſunt, quæ in omnium oculis modo proſtrata jacent. Et quamvis numi iſti, quos alii impenſius laudare ſolent, adhuc ſuperent, nihilominus de eorumdem & ætate & veritate admodum dubitandum fuerit.

Quam-

Quamobrem ſuo in ſtudium antiquitatis amori & rectius & prudentius conſulunt, quos juvat veræ antiquitatis veſtigia in optumarum artium cultura & moribus gentium ſanctiſſimis quærere. Etenim, ab his fontibus vera antiquitatis veritas vere exſpectanda venit. Alios qui ſequuntur, næ! iſti faciunt intelligendo, ut nihil intelligant.

Hoc, ſi quisquam alius, ſcite intellexiſſe videtur vir & prudentia & doctrina longe ornatiſſimus Titus Pomponius Atticus. Hic moris majorum non ſolum ſummus imitator fuit, ſed antiquitatis etiam amator, quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine expoſuerit, quo magiſtratus ornavit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illuſtris fuit populi Romani, quæ non in eo ſuo tempore, teſte M. Tullio, ſit notata.

Vtinam! ætate noſtra hæc veterum laudabilis cura & induſtria multos ſolicitaret. Ecquid enim vel laudabilius, vel jucundius, vel utilius hac eſſe poſſit, non equidem! intelligo.

Præclare Erycius Puteanus in *Lauda-*

tione juventutis Belgicæ de hoc argumeno diſſerit: *Quid honeſtius*, inquit, *quam de eruditione, hiſtoria, antiquitate Latine diſſerere aut loqui? quid honeſtius, quam ipſo ſermonis habitu, velut ſigno candidatum ſe præbere & probare eruditionis, hiſtoriæ, antiquitatis?*

Scilicet, hoc ſtudiorum genere ſolida atque vera eruditio demum conſiſtit, & ſine eo omnia ſunt mutila, manca & quodammodo imperfecta. Iccirco omnibus abhinc retro ſeculis viri veram veræ eruditionis laudem aucupaturi, id etiam atque etiam egere, ut in eo ſic verſarentur, quo excellerent.

Et ſane! tanta in re literaria antiquitatis auctoritas ſemper eſt habita, ut ejus faciem, vel noviter inventis, non raro inducere ſategerint. Hinc tot monetæ & ſcripta, tam in ſeculari, quam eruditione ſanctiori, vel adhuc hodie, obviam fiunt, quæ perſonam antiquitatis induta, vetuſtiorum auctorum nomina intemperantiſſime metiuntur. In hiſce genuinum a falſo & aurum ab orichalco ſecernendo viri, qui a judicandi facultate plurimum potuere, omnes ingenii nervos ſedulo intenderunt.

In

In maxumis vero in id omni cura & induſtria incumbendum, ut ANTIQVITATIS ECCLESIASTICÆ STVDIO ſuus honos, ſuum decus omni ex parte conſtet. Tacita quadam veneratione veteris Romæ rudera, templa, theatra, vetuſtatis ſitu obductæ ſtatuæ, disjecta & fracta marmora, & ſiquid aliud artificis induſtria effinxit & formavit, inſpiciuntur. Antiqua numiſmata, quamtumvis ærea, & ab auri argentique pretio alieniora, ſuos æſtimatores in admirationem raptos, neſcio qua dulcedine, demulcent. Præteritorum temporum memoria, mundi imaginis contemplatio, gentium origo, imperiorum ortus & occaſus, populorum fata, migrationes & viciſſitudines, amore quodam tacito nos trahunt, animumque oblectant. Quanto magis Eccleſia Chriſti cum ſuis anathematibus, ipſa canicie venerabilibus?

Ecquid vel utilius, vel jucundius eccleſiæ Chriſtianæ cunabula adire, progreſſus & ætates expendere, metropoles inviſere, Epiſcoporum ſucceſſiones & Patriarcharum jura legere? Chriſtianum & Theologum exſuerit, qui non etiam

atque etiam exoptet cum Apoſtolis ſanctisque eccleſiæ primitivæ Patribus peregrinari, actus magni facere, certamina relegere, ſanctorum Martyrum de eculeis, ungulis, ſcorpionibus, flagris, loris, fuſtibus, plumbatis, laminis, ollis, craticulis, obeliſcis, palis, crucibus, & reliquis martyrii inſtrumentis exquiſitiſſimis glorioſiſſime triumfantium palmas lemniſcatas contrectare eorumdemque coronis impenſius lætari? Quid gratius Concilia veneranda compellare? venerabiles Patrum, & Epiſcoporum confeſſus perluſtrare? vota & decreta colligere? anathematis fulmina in hæreticos audire? utilia eccleſiæ moribus & vitæ ſtatuta admirari?

Cui non volupe fuerit Chriſtianæ religionis infantiam tot perſequutionum fluctibus & flammis exercitam triumfantem intueri, & ejus adoleſcentiam, vi quadam divinitus immiſſa, totius terrarum orbis florentiſſimam ornatiſſimamque victricem cernere? Heic jucundum eſt tropea contemplari, victorias & triumfos gratulari, Chriſtoque captis & recuperatis terris lætari.

Nec

Nec minus jucundum acciderit, iis quam familiariſſime uti, qui Deo uſi ſunt, & candidi pectoris fructus & vitæ inculpatæ pietatisque infucatæ pretium colligere. Cum iis converſari, qui ſuis moribus, pietate, ſanctimonia, doctrina & præclaris ingenii monumentis, in divini nominis gloriam, Eccleſiam Chriſti exornatam ædificarunt, æternitatique laborarunt.

Hoc quemadmodum jucundum; ſic nec ingratum Chriſtianæ primitivæ eccleſiæ Catecheſibus intereſſe, ejus diptycha inſpicere, ſcrutinia frequentare, orationem Dominicam & Symbolum Apoſtolicum audire, humi jacentes Catechumenos accedere, eos, fidei confeſſione & ſanctiſſima vitæ Chriſtianis dignæ promiſſione facta, ad baptiſmi ſanctiſſimum lavacrum comitari, Baptiſteria inſpicere, veſtes albas, calceos cretatos, lampades accenſas, virides coronas penitius conſiderare, eorumdemque ſancti convivii ſocium adeſſe.

Svave & jucundum alii putent convivia frequentare; nihil ſvavius nec jucundius, quam cum Chriſtianis primævæ ec-

cleſiæ optumi Servatoris menſæ accumbere, Diaconi vocem audire, Sacerdotis invitationem acceptare, devotionem imitatione omni digniſſimam ſuam facere, ſanctiſſimæ menſæ adparatum & ſupellectilem ſacram perluſtrare, CALICES EVCHARISTICOS in manus accipere, acceptosque erudita deſcriptione & diſſertatione venerari.

Quod quum alii plures, tum in primis Angli intelligerent, in antiquitatum ſacrarum culturam omni animi impetu incumbere, aliisque ad easdem curas faces præferre, ſuum eſſe putarunt.

Ecquis enim in ſcriptis eorum adeo hoſpes eſt, quin noverit, qui ejus monetæ egregiis ſcriptis inter eos inclaruerint? Poſteaquam enim Lutherus & Chemnitius veræ antiquitatis promicondi veras illas antiquitatum venas detexere, & armamentarium ex iis adverſus Pontificiorum novitatum acies excitarunt, & illi in hoc ſtudiorum genere ſic verſari cœperunt, ut omnem omnium ſpem & exſpectationem ſuperaverint.

In hiſce nomina ſua profitentur *Iuellus*, *Ridleius*, *Noellus*, *Raynoldus*, *Whitakerus*, *Parkerus*, *Bancroftus*, *Sutlivius*, *Downamus*, *Perkinſus*, *Andreuſius*, *Cocus*, *Abbotus*, *Buckrigius*, *Fiddus*, *Fullerus*, *Davenantius*, *Vſſerius*. *Montacutius*, *Mortonus*, *Prideaux*, *Hammondus*, *Savilius*, *Seldenus*, & qui hodie eruditionis & eloquentiæ fama in Anglia excellunt, *Stillingfletus*, *Dodwellus*, *Bernardus* & alii eorum plures, quos impenſiſſime veneror.

Horum eruditæ ſocietati haud injuria adſcribitur Anglo-Britannus ille Theologus famæ nobilitate in antiquitatis ſtudio longe nobiliſſimus JOHANNES DOVGHTEJVS. Hic ſuæ eruditionis teſtimonium non ſolum in ANALECTIS SACRIS, SIVE EXCVRSIBVS PHILOLOGICIS, SVPER DIVERSIS S. SCRIPTVRÆ LOCIS, eximiis ſane! & præclaris, ferre voluit, ſed eam quoque in antiquitate ſacra Eccleſiaſtica erudito orbi probare hoc, de CALICIBVS VETERVM CHRISTIANORVM EVCHARISTICIS LIBRO ſategit.

In hoc quid præſtiterit, non audet verborum phaleras, nec exquiſitæ laudis adparatum adpellare. Haut quaquam ſibi diſſimilis in eo eſt, ſed eam quam de ſe pridem excitavit ſpem & exſpectationem egregie & ſuſtinere & tueri didicit. Quod & eligans & pura dicendi ratio, ſcita tractandi ſeries, luculenta eruditionis antiquæ copia, & quidquid ad hujus egregii argumenti tractationem pertinet, ornamenti, nullo negotio perſvadere poterit.

Quo rarius vero illud, eo carius nobis eſto. Non enim, quantum quidem memini, in publica luce hujus argumenti liber verſatur. Promiſit quidem Joannes Ciampinus, Magiſter Brevium Gratiæ ac in utraque Signatura Referendarius in *Conjecturis de perpetuo azymorum uſu Cap.* VII. §. VII. ſed, hactenus promiſſis non ſtetit. Quod ſi tamdem aliquando ſtabit, & eam, quam fecit, fidem exſolvet, vereor ne DOVGHTEJVS noſter palmam ipſi dubiam fecerit. Copia quidem ſchematum noſtro antiſtabit, eligantia autem eruditionis eum non ſuperabit.

rabit. Sed, quum dies omnia aperuerit; judicium in medio relinquere, tutiſſimum eſſe putamus.

Hoc in primis laude digniſſimum, in hoc libello putemus, quod auctor antiquitates profanas cum ſacris eccleſiaſticis non miſceat, ſed ſororio quodam inter ſe nexu tenerrime copulet. Etenim, qui huic generi ſtudii antiquitatis Eccleſiaſticæ ex aſſe ſatisfacere voluerit, eum non Baronii, vel Centuriatorum analectis, ſed ipſis Sanctorum Patrum omnium ſeculorum, tam Græcorum, quam Latinorum monumentis invigilare, Iudaicæ Eccleſiæ, Græcorum & Romanorum inſtituta & ritus quam perſpectiſſimos habere oportet. Svaviſſimo enim vinculo Antiquitates illæ inter ſe cohærent, nec a ſe invicem temere ſunt divellendæ.

Quid quæris? hoc ipſum celeberrimus auctor noſter in Expoſitione Scripturæ S. locorum, in ANALECTIS illis ſupra laudatis obviorum, pro ſuæ eruditionis in ſcriptis ſecularibus inexhauſto fere penu, præclare demonſtravit. Quamobrem in

erudite

erudite docta *Præfatione Tom.* I. *Analect.* præfixa ſcribit: *Sane! ut quod res eſt, dicam, id mihi ſemper quam maxume placuit, ſi quod Orator alicubi monet de Græca cum Latinis jungendo in ſtudiorum procurſu: ita etiam politiorum aliquid literarum cum ſeverioribus diſciplinis miſcerem.* ---- *Bene ſe habent iſthæe conjuncta, quæ diviſim, & ſingula minus ſplendeſcunt.*

Præluxcrat Joſeſus Scaliger in *Epiſtola* CCCIX. ſic ſcribendo: *Sunt qui literàs Exoticas cum ſacris non conjungunt, propterea quia illas ignorant.* Sed, noſtrum non eſt de hoc inſtituto modo fuſius diſſerere, in primis quod viri omni eruditionis laude ſuperiores eam operam pridem occupaverint. Hugo Grotius, Johannes Druſius, Sixtinus ab Amama, Thomas Gattakerus aliique plures.

Quo majori ergo diligentia hic libellus de CALICIBUS EVCHARISTICIS eſt confectus & quo ampliori eruditionis adparatu inſtructus, eo majorem a vere eruditis & antiquitatum admiratorib9 gratiam inibit, qui ejus copiam erudito orbi fecerit.

fecerit. *Pulchrum enim eſt in Chriſtianiſmo pie & prudenter curioſum eſſe, quum alios videamus in ethnicorum rebus ad unguem inveſtigandis præpoſtere diligentes*, ait Beatus Rhenanus *Adnot. in Tertull. de Corona militis.*

Faceſſat interim omnis inutilis ſtudiorum ratio, faceſſant difficiles næniæ, implacabiles rixæ, leves & ludicræ diſputatiunculæ futileſque gerræ, Ætatem noſtram tranſigamus non otio & luxu vel agyrtarum curſu & recurſu, nec vano vanæ gloriolæ apud magnates aucupio, ſed in roſtris ſanctioribus, in concione, intra bibliothecæ cancellos, in eccleſiæ cum emolumentum, tum ornamentum ſalutemque animarum, antiquitatis cognitioni, bonarumque literarum culturæ & curæ, ritu Doughtejano, gnaviter & prudenter incumbamus.

Tu vero, benivole & erudite Lector, hoſce CALICES EVCHARISTICOS a DOVGHTEJO confectos tibique propinatos benigne accipe, eisdemque ſancte utere. Quodſi hunc, vel illum ætate

Dough-

Doughteiana inferiorem in eo laudatum deprehenderis, eum margini ab erudita quadam manu Anglicana, cui ejus copiam debemus, niſi valde fallor, adſcriptum reliquorum juxta ſedes ſuam quoque ſellulam collocaſſe, noveris. Et ne in tanti viri manes & labores ingratus videaris, & ipſi & mihi, ceu quidem facis, favere perge.

Vale!

JOHAN-

JOHANNIS DOUGHTEI
Theologi Anglo-Britanni
De

CALICIBUS EUCHARISTICIS Veterum Chriſtianorum Libri.

CAPUT I.
De
Calicum etymologia &c.

CALICUM etymologiam, & reliqua, quæ in pertractatione alicujus argumenti alii anxius ſcrutantur, quæ noſtra eſt ſcribendi indolis & natura, non adeo moramur. Quamvis enim Plato, Epictetus & alii Philoſophorum plures eam conſvetudinem ſuam fecerint, quorum veſtigiis recentiores, prout quidem natura ipſorum fert, tenacius inhæreat, non eſt tamen ea tantæ neceſſitatis,

ut citra eam argumenti cujusdam tractatio feliciter abſolvi nequeat. Ne tamen eam omnino averſari & otio plane condemnare videamur, tribus, quæ ad veſtibulum pertinere videbuntur, expediamus.

Quemadmodum vero etymologiæ plerumque ſolent eſſe poma Eridos, quæ Grammaticorum animos paulo momento huc atque illuc impellunt, vix enim, ac ne vix quidem in vocabuli cujusdam originem eos conſpirare ac conſentire ſentias: ſic *Calicis* quoque originatio Philologiæ cultores in alia omnia hacten' abire juſſit.

Alphonſus Salmero Toletanus, vir longe laborioſiſſimus *Tom. IX. Tract. XIX. fol. XCIII. in Novum Teſtamentum*, & Gerhard' Johannes Voſſius in *Etymologico Latino fol. XCIV.* Varronem, diligentiſſimum antiquitatis inveſtigatorem, *calicis* originem a *calda* deducere, animadverterunt. Verba ejus *libro IV. de Lingua Latina* hæc ſunt: *Calix*, inquit, *a caldo, quod in eo calda puls adponebatur & calidum eo bibebant.*

Scilicet, ſic uſu apud veteres receptum erat, ut convivæ aqua calida ſanitati ſuæ conſulturi ſeſe oblectarent, quemadmodum hodie fieri ſolet cum potu calido ex Thee confecto, quo nihil Britanniæ noſtræ vel uſitatius, vel ſolemnius. Non enim vel heri, vel nudius tertius mos ille calidam bibendi demum natus eſt, ſed, pridem cum

apud

apud Græcos, tum apud Romanos obtinuit.

De Græcis id liquido conſtat ex Athenei *libr. I. Dipnoſoph. Cap. II.* & *libr. III. Cap. III.* Quibus ſuo nomine veniebat Θερμῶν, prout obſervatum exhibet Guilielmus Stuckius *libr. III. Antiq. Conviv. Cap. VI. fol. CCCIV.* & ex Ariſtophane & clariſſimo Budæo confirmatur. Vaſculum ei aptum & accommodatum proinde etiam audit: Θερμητρὸν, prout Juſto Lipſio *libr. I. Elect. Cap. IV.* obſervatum proſtat.

De Romanis rem omnem quoque in vado eſſe dixeris. Quamobrem Martialis *libr. IIX. Epigr. LXVII.* in *Cæcilianum* canit:

Caldam poſcis aquam, ſed nondum frigida venit,
Alget adhuc nudo clauſa culina foco.

Lucius Apulejus *libr. II. Mileſiac.* idem nos docuit, inquiens: *Commodum cubueram, & me Fotis mea, jam Domina cubitum reddita, jacta proximat roſæ ſerta & roſa ſoluta in ſinu tuberante ac me preſſim deoſculato & corollis revincto & flore proſperſo, accipit poculum, ac deſuper aqua calida injecta, porrigit, bibam idque modicum priusquam totum exſorberem, clementer invadit.* Qui locus ſententiæ noſtræ multum equidem lucis feneratur.

Sapientiſſimus Romanorum Seneca ultro citroque hujus caldæ mentionem facit. *Libr. I, de Ira Cap. XII.* *Iraſcuntur*, ait,

boni viri pro ſuis injuriis. Sed, idem faciunt, ſi calida non bene præbeatur. Et libr. *II. de Ira Cap. XXV. Parum agilis eſt puer,* ait, *aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus thorus, aut menſa negligentius poſita, ad iſta concitari inſania eſt.*

Qui locus argumento eſt luculentiſſimo, non lepidam, ſed aquam adprime calidam in conviviis uſu obtinuiſſe. De eo ne tantillum dubii ſupereſſe cupit M. Plautus in *Milite glorioſo Act. III. Scena II.* LVC. *Neq; ille hic calide calidum exhibit in prandium* PA. *Neque tu bibiſti?* LVC. *Dii me perdant ſi bibi. Si bibere potui.* PA. *qui jam?* LVC. *Quia enim obſorbui, Nam, nimis calebat, amburebat gutturem.*

Superiorem Senecæ locum paulo ante laudatum egregie illuſtrabit Ammianus Marcellinus *libr. XXIIX. Pauci ſunt,* ait, *inter eos ſeveri vindices delictorum, ut, ſi aquam calidam tardius adtulerit ſervus, trecentis adfligi verberibus jubeatur.* Confer Paulum JCtum *l. Cum de Lanionis LXXXI. §. Item Cacabos ff. de Inſtruct. & Inſtrum. l.* Jacobus Cujacius JCtus πολυμαθέστατος *libr. XI. Obſerv. Cap. VII. pag. CCCXC.* in hujus legis elucidatione ſic verſatur, ut excellat, quem, ſi volupe fuerit, in conſilium adhibueris. De argumento ipſo adi ſis Antonium Perſium in erudito tractatu Italice ſcripto: *Del bever caldo coſtumato da gli antichi Romani Cap.*

Cap. XII. & *XIII.* Juſtum Lipſium *libr. I. Electorum Cap. IV.* Fulvium Urſinum in *Appendice de Triclinio.* Henricum Salmuthum *Comment. in* Guidonem Pancirrollum *Parte I. de Rebus deperditis Tit. LI.* Thomam Dempſterum a Mureſck in *Paralipomenis ad Johannis Roſini Antiq. Roman. libr. V. ad Cap. XXX.* Johannem Freinshemium in *Epiſtola ad D. Kufferum de calidæ potu*, & alios numero plures.

Verumenimvero, quamvis, rem ipſam ſi putemus, de veritate ipſa liquido nobis conſtet, *calicis* tamen originationem inde cum Varrone ſtatuere deducendam eſſe, nondum a nobis impetrare poſſumus. Etenim, principio quidem illa derivatio admodum coacta & invita adparet, cum tamen Grammaticorum lege id ipſum cautum ſit. Non autem liquet, qui *calix* a *calida*, vel *calda* ductum ſit, vel, duci etiam poſſit? Deinde, ſi *calix* a *caldo* diceretur, vaſculum illud in quo frigida fuit exhibita, ceu pari modo uſitatiſſimum fuit, prout omnis antiquitas planum teſtatumque facit, denominatione *calicis* excideret. Rem vero aliter ſeſe omnino habere, experientia comprobatum circumfertur, ceu omnium confeſſione conſtat. Quamobrem antecedens laborare, palam atque manifeſtum eſt.

Quid quæris? ejuſcemodi vaſculum

aquæ calidæ uſui aptum & adcommodatum, Romanis non tam *calicis*, quam *miliarii* nomine venit. Seneca in *Quæſt. Natural. libr. III. Cap. XXIV. Facere*, ait, *ſolemus Dracones & miliaria & complures formas, in quibus ære tenui fiſtulas ſtruimus per declive circumdatas, ut ſæpe eumdem ignem ambiens aqua per tantum fluat ſpacium, quantum efficiendo calori ſat eſt. Frigida namque intrat, effluit calida.* Ecce! non modo nomen, verum etiam vaſorum illorum materiam & formam. *Libr. IV. Cap. IIX.* alius in literis locus exſtat: *Minora balnearia & minora miliaria citius caleſiunt.* Athenæus *libr. III. Dipnoſoph.* egregium quoque locum ſuppeditat, inquiens: Τοιοῦτοι τινές εἰσιν ὦ ἑταῖροι οἱ Οὐλπιάνειοι σοφισαὶ, οἱ καὶ τὸ μιλιάριον καλούμενον ὑπὸ Ρωμαίων, τὸ εἰς θερμοῦ ὕδατος κατεργασίαν κατεσκευασμένον ἰπνολέβητα ὀνομάζουσι. *Tales quidem ſunt O! ſocii Vlpianæi Sophiſtæ, qui illud, quod a Romanis* miliarium *vocatum fuit, ad aquam calefaciendam præparatum* ἰπνολέβητα *vocant.*

Valere igitur jubeamus eos, qui de hac voce *miliarium*, aliter hactenus ſenſerunt. In his nomina ſua profitentur Beroaldus, Antonius Nebriſſenſis, Accurſius & Germanorum nonnulli Lexicographi, quibus placet *miliarium* interpretari *vas ad milium coquendum.* Rectius doctiſſimus Jacobus Cujacius *libr. II. Obſerv.* exponit, inquiens: *Miliarium nihil eſt aliud, quam aenum, in quo*

aqua

aqua ad potandum calefit. Cum de lanionis §. item Cacabos De Inſtr. vel Inſtr. leg. *Sed, in balneatorio inſtrumento Paulus* miliaria *etiam numerat , in quibus ad lavandum aqua calefit.* Confer Guilielmum Budæum in *Lexico*, verbo Μιλιάριον. Adrianum Turnebum *libr. V. Adverſ. Cap. I.* In *Gloſſa Philoxeni* exponitur : θερμηρὸν, ubi judice Gerhardo Johanne Voſſio in *Etymologico* quam rectiſſime expungitur θέρμητρον, quod alias in ea fit obvium.

Scilicet, calidæ potus ſanitati conducibilior veteribus putabatur frigida. Quamobrem etiam loca publica excitabantur, in quibus aqua calida ad potum præparata publice vendebatur. Plautus in *Curculione Act.* II. *Scena* III.

incedunt cum ſuis ſeſtertiis
Quos ſemper videas bibentes eſſe in thermopolio,
Vbi quid ſurripuere , operto capitulo calidum bibunt
Triſtes atque ebrioſi incedunt.

Doctiſſimus Camerarius heic loci legere mavult *Hermopolio*, quam *Thermopolio*, provocando ad vetuſtiorum codicum fidem & auctoritatem. Arbitrari enim videri poſſit, tabernis illis ſimulacrum Hermetis, vel Mercurii, mercatorum Dei, collocatum fuiſſe. Quo Voſſius noſter in *Etymologico fol. DXX.* quidem inclinat, ſed brevi poſt ſuam opinionem obelo expungit, veterem

illam lectionem *Thermopolio* retinendo, Fridericus Taubmannus in *Comment. in Curcull.* pag. CCLXXX. mavult judicium ſuum prudenter ſuſpendere, quam in lectionem Plautinam temere graſſari. In *Trinummo* tamen *Act.* IV. *Scena* III. ad verba:

ſatin in thermopolio

Cordolium es oblitus poſtquam thermopotaſti gutturem, rerum ſuarum ſatagens, rem ipſam dilucidius ex more rituque veterum Romanorum explicat. *Thermopolia*, inquit, *dictæ ſunt cauponæ in quibus calida væniret.* Adi Guilielmum Stuckium *libr.* III. *Antiq. Conviv. Cap.* VI. Adrianum Turnebum in *Cicer. libr.* II. *de Orat.* Hieronymum Mercurialem *libr.* I. *variar. Lect. Cap.* IIX. Joſefum Caſtalionem *Decad.* I. *Obſervat. Cap.* IX. Andream Schottum in *Tiber. Aurelii Victoris* Lipſium *libr.* I. *Elect. Cap.* IV.

Quodſi igitur naturam & indolem vocabuli *Calicis* penitius inſpexerimus, cum Macrobio *libr.* I. *Saturn. Cap.* XII. & Priſciano in *Quincto* aliisque pluribus fatendum fuerit, quod Græciæ ſua incunabula debere videatur. Græcis enim κύλιξ *Calix* eſt. Quanta vero facilitate & adfinitate hoc fieri poſſit, omni plane demonſtratione & probatione ſuperſedere poterit.

Græcum vero κύλιξ, judicio Salmeronis *Tom.* IX. *in Nov. Teſt. Tract.* XIX. *a fundendo*, quod ſit, ἀπὸ τοῦ κύειν, ſcribendum χύειν, deſcen-

deſcendere , laureolam haut meretur. Athenæo & Euſthatio placet παρὰ τὸ κυ-λίεσθαι deducere. Torno quippe calices olim conficiebantur. Eo nomine Gerhardus Johannes Voſſius laudat Theophraſtum, de terebintho ſic differentem: Τορ-νεύεσθαι ἐξ αὐτῆς καὶ κύλικας Θηρικλείους. Confer Plinium *libr.* XVI. *Hiſt. Nat. Cap.* XL. de quo inſtituto forſan infra occaſio vertetur fuſius agendi.

Non ſemel citatus Salmero *calix* dictum putat a *rotunditate*, quaſi Κύκλιψ , ſcribendum denuo erat κύκλιξ. Haud exacte enim Lojolita nec Ebræam, nec Græcam linguas calluiſſe videtur, id quod vel ex hoc loco palam & manifeſtum eſt, cujus veſtigia in aliis pluribus omnium oculis ſunt obvia & expoſita.

Verumenimvero , non eſt quod haſce originationes admodum moremur, quum parum, vel nihil faciant ad illuſtrationem illius, quod in manibus in præſentia habemus. Rem ipſam potius, quam verba ruſpari eorum eſt, qui a judicandi facultate & eruditionis ſoliditate quidquam poſſunt, ceu ab initio hujus tractationis inſinuare placuit.

De *Calicibus* vero actori nomen iſtud non in ſenſu improprio; ſed proprio, ſimplici & plano acceptum intellectumque volumus. Hunc quippe geminum uſum in ſa-

cris & in Patrum primitivæ eccleſiæ monumentis eſſe obvium, omnibus conſtare, certum eſt.

In ſenſu priori occurrit *Matth.* XX. 22. Δύναϑε πιεῖν τὸ ποτήριον; *Poteſtis bibere poculum*, calicem? & §. XXIII. Τὸ μὲν ποτήριόν μου πίεσϑε *Poculum*, calicem , *meum bibetis.* Vbi ποτηρίου nomine venit certum aliquod demenſum adflictionum exantlandarum, prout Sancti Patres quam rectiſſime exponunt. Clemens Alexandrinus *libr.* I. *Pædag. Cap.* VI. Τὴν συμπλήρωσιν τοῦ ἰδίου πάϑους ποτήριον κέκληκε καταχρηστικῶς, ὅτι ἐκπιεῖν καὶ ἐκτελέσαι μόνον ἔχρη αὐτό. *Propriæ paſſionis complementum abuſive poculum adpellavit, quando eam ebibere & perficere ipſum ſolum oportuit.* Metaphora deducta videtur a re œconomica & convivali veterum, in cujus adminiſtratione unicuique , quod & quantum ſuum, quod ad poculenta & eſculenta eſſet, admetiebantur, præcavendo, nequis ultra vires a proximo invitatus, vel orbiculis vel culullis obrueretur. Hujus negotii præſes audiebat *Modimperator*, vide Nonium Marcellum *libr. de Proprietate Serm. Cap.* II. *num.* DLXV. Plinium *libr.* XIV. *Cap.* XXII. Agellium *libr.* XV. *Noct. Attic. Cap.* II. Græci Romanis facem, ut in aliis pluribus, ſic in hoc quoque prætulerunt. Vide Plutarchum *libr.* I. *Quæſt. Conviv.* Athenæum *libr.* X. *Dipnoſoph.* Salmaſium

in

in *Obſerv. ad Jus Atticum Romanum pag. LXXIV.* Guilielmum Stuckium *libr.* II. *Antiq. Conviv. Cap.* VII. Græcis dicebatur non uno nomine. Σίταρχος, συμποσίαρχος, ἑστίαρχος, ἀρχιτρίκλινος, prout pluribus diximus in noſtris in Johannem *Analectis Excurſ.* XXXVII.

Quo ſenſu etiam exſtat *Matth.* XXVI. 39. *Πάτερ μου, εἰ δυνατόν ἐστι, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο* *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix ille.* Eraſmus Roterodamus vulgatam eo nomine, quod vertit *ποτήριον calicem*, reprehendit, quum non habeatur *κύλιξ*, ſed, *ποτήριον*. Verum, non eſt quod Eraſmus nodum in ſcirpo quærat, quum *ποτήριον* idem ſit quod *κύλιξ*. Cui bono hujuſcemodi tricæ?

Sufficiat modo obſervaſſe, *τὸ ποτήριον* in hoc loco æque ac in priori a propria in figuratam ſignificationem abire. Johannes Camero noſter in *Myrothecio Evangelico in Matth.* XXVI. *fol.* CXIX. eam hiſce ſic ſatis commode & eleganter exponit: *Omnior ærumna* calicis *nomine a Prophetis notari ſolet: fere enim uſu venit, ut quæ ſunt moleſta & dura, ea dum exaggeramus, ſignificemus veluti εἰρωνικῶς earum rerum vocabulis, quæ in vita ſuavia ſunt & jucunda, unde etiam lavacrum eadem notione uſurpatur. Certe! Chriſtus utroque nomine tum* poculi, *ſeu* calicis, *tum etiam* lavacri *uſus eſt.* Matth. XX. 22.

Sic

Sic Camero. Quó etiam reſpicit Gerhardus Johannes Voſſius in *Harmonia Evangelica libr.* I. *Cap.* II. §. VII. Quæ ſententia omnium ſanctiſſima, optuma & ſimpliciſſima merito putanda eſt.

Haut quidem! ſum neſcius, in Proteſtantibus haberi, quos juvat hoc ποτήριον de poculo, vel calice venenato, aut etiam maleficorum interpretari. Verum, religio mihi hactenus fuit, in eam ſententiam ire. In primis quod in talibus omnem ἀκυρολογίαν exſulare, & ea quæ ſcita, compoſita ac ſancta ſunt, quam maxume ſequi oporteat. Quid? quod nullus dubitem, quin veteris pacti uſus *calicis* in novo quoque fœdere Spiritui S. placuerit. Ibi enim כוס ad eum modum & eam formam uſurpatum invenio. Sed, noſtrum non eſt huic diſcurſui amplius immorari. Adi ſis quæſo! Hugonem Grotium *Comment. in Matth.* XXVI. Thomam Gattakerum in *Adverſariis pag.* V. ubi hic locus eruditiſſima expoſitione illuſtratus reperitur, in quo merito adquieſcimus.

Nec metonymicam loquutionem heic adtendimus, utut aliquoties in hanc vocem *calix* cadat, prout viderē licet *Jeremiæ XLIX 12. Ezech. XXIII. 32. 1. Corinth. X. 21. Luc. XXII. 17.* aliisque in locis Scripturæ S. pluribus, de quo Germanorum inſignis Philologus Salomo Glaſſius in *Philologia S.*

libr. IV. *Tract.* I. *Cap.* III, ſi juvat, conſu-
poterit. Hugo de S. Caro in *Concordan-*
is voc. *Calix* adpellabitur.

Genuinam & propriam duntaxat ſigni-
cationem, ſepoſitis reliquis tam in profa-
is, quam ſacris obviis, adtendimus, qua
denotatur vaſculum, ex quo potus hauriri
poteſt dictum Ebræis כוס Syris ܟܣܐ
Chaldæis כסא Arabib' كاس
Æthiopibus ጽዋዕ: Græcis κύλιξ
vel ποτήριον. Italis, *Bichiero.* Hiſpanis: *Va-
ſo.* Gallis: *Coupe.* Nobis Anglo-Britannis:
Cuppe. Danis: Kalck. Germanis: Kelch.
Bohemis: Kalich. Polonis: Kielich. Go-
this in Evangelio Johannis *Stikl.* Islandis:
Kaleik. Svedis: Kalk. Hanc inquam, ſi-
gnificationem noſtram facimus. Ecquid
enim vel improprias, vel metonymicas
moremur? Quodſi tamen de improviſo
unum & alterum de iis monendum fuerit,
benevolus lector haut moleſte ferat.

Hujuscemodi vero CALICES diſtinctio-
ris & accuratioris cognitionis ergo varie
diſtingvere, licebit. Sed, ſaltibus diſtincti-
onum ſusque deque habitis, eos in *ſacros* &
profanos diſpeſcimus. De his non erit, quur
ex profeſſo agamus. Sunt enim qui eam
operam pridem occuparunt, ut ea ſuper-
ſedere

ſedere commode poſſimus. Per diſcurſus vero circumſtantias quum aliter non poſſimus, quin nonnulla delibemus, nullo negotio veniam impetrabimus. De ſacris ſermo & tractatio noſtra fuerit. Hi vero quum in duplici ſint differentia, & alii veteris alii novi federis ſint, miſſis illis, horum contemplationi vacare juvabit. Hi vero quum ſint vel BAPTISMALES, vel EUCHARISTICI, id equidem! dabimus operam, ut hoſce penitius inſpiciamus.

CAPUT II.

De

Calicum Veterum Chriſtianorum Differentia.

DIximus ſuperiori capite, non nobis eſſe tractationem nec ſermonem de CALICIBUS BAPTISMALIBUS, ſed, EUCHARISTICIS. Fuiſſe autem prioris monetæ & formæ calices, non eſt quod dubitemus. Vera equidem! & ſincera antiquitas de iis nos neutiquam fluctuare ſinit. Quod ſi enim forulos veterum, ea, qua par eſt & induſtria & reverentia excuſſerimus, rem omnem in proclivi videbimus.

Quod ſi CALICUM BAPTISMALIUM auctoritatem adpellaverimus; ea apud Anaſta-

aſtaſium, vel, ut alii volunt, Damaſum, ſe ejiciet. Etenim, hic in *Vita Innocentii I.* is hunc in modum ſcribit : *S. Innocenti- s, inter alia calices argenteos Baptiſmi numero res penſantes ſing: libras duas & alia dona multa largitus eſt.* Ecce! totidem verbis auctor ejus vitæ *calicum Baptiſmi* mentionem facit, eo quod eorum uſus in Baptiſmo frequens ac ſolemnis fuerit.

Et quamvis Innocentii ætas paulo recentior & ejusdem vitæ deſcriptoris auctoritas paullo tenuior, quum inter omnes conſtet, dubium eſſe, an Damaſus, an Anaſtaſius auctor ſit, an ſcripta illa ſubleſtis an integræ fidei, de quibus omnibus fuſius diſputatio ſuſcipi poſſet ; nihilominus res ipſa auctoritati *Calicum* illorum *Baptiſmalium* etiam atque etiam patrocinatur.

Hanc litem haud infeliciter diremit Italus Johannes Ciampin' in *Examine libr. Pontificalis.*

Ecquis enim in hiſtoria eccleſiæ primitivæ adeo hoſpes eſt, quin norit recens baptizatis a baptiſmi uſu mel & lac porrectum eſſe? Vinum quoque iisdem porrectum eſſe, omni carere dubio putaveris. Clemens Alexandrinus *libr. I. Pædag. Cap. VI.* in eum ritum digitos exſerit, inquiens: Ναὶ μὴν ἐπιμίγνυται τὸ γάλα καὶ οἴνῳ τῷ γλυκεῖ ἐπωφελὴς δὲ ἡ μῖξις, καθάπερ ἀνακιρναμένου τοῦ πάθους εἰς ἀφθαρσίαν. *Porro autem miſcetur lac vino dulci. Eſt autem utilis mixtio, veluti contemperata adfectione ad incorruptionem.* Sic S. ille Pater, qui in hoc capite, quantus quantus eſt,

eſt, totus eſt, ut initiamenta primitivæ ecclefiæ novellorum Chriſtianorum, & quidcum iis in κατηχήσει actum ſit, plenius atq; planius ediſſerat. Hujus ſymbolum lac & vinum fuiſſe, tradit, quod pluribus deinceps perſequitur, & lectoris induſtria in eo deſideratur.

S. Tertullianus in de *Corona militis Cap.* III. ejus inſtituti veritatem nobis pari modo confirmat: *Dehinc*, poſteaquam renunciatum eſt Diabolo & pompæ & Angelis ejus, *ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit, inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustantus.* Heic *mellis* & *lactis* fit mentio, apud Clementem vero *lactis* & *vini.* Fortaſſe utrumq; obtinuit, vel aliter apud Græcos, apud Latinos aliter, verum non ubique, ſed promiſcue, habito circumſtantiarum reſpectu, quemadmodum iis accidit, quæ non concernunt ſubſtantiam, ſed tantum accidens. Hæc enim vel in priſca eccleſia varietatem aliquam admiſere, prout tam notum eſt, quam quod notiſſimum. Sunt, quos juvat Tertulliani locum de infantibus interpretari; ſed illi rationes circumſtantiarum non adeo bene ac circumſpecte ſubduxerunt. De adultis S. Patri ſermo eſt. Id quod ex *libr. I. adverſus Marcionem Cap.* XIV. liquere puto. *Sed, ille quidem*, inquit, *uſque nec aquam reprobavit Creatoris qua ſuos abluit,*

bluit, nec oleum, quo ſuos ungit, nec lactis & melis ſocietatem, quo ſuos infantat, nec panem, quo pſum corpus ſuum repræſentat.

Laborioſiſſimus Annalium Conditor Baronius *Tom. II. Annal. Eccleſ. ad Annum* CCXCIV. Acta Suſannæ, quæ fuit filia Gabinii Germani, Caji Papæ, referens, in iis, inter alia hæc memoriæ ex illis prodidit: *Poſt hæc obtulit pro illis*, Cajus Papa, *ſacrificium in eadem domo & conſecravit corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti & lac & mel, & fontem, participavitque cum omnibus myſterium Dei.* Ubi Baronius paucis hanc conſvetudinem illuſtrat ex citato S. Tertulliani loco de *Corona militis*, *Cap.* IV. cum ſit III. ceu e dictis liquere puto.

In Synodo Carthaginienſi *Codic. Canon. Eccleſ. Afric. Cap.* XXXVII. *Biblioth. Juris Con. Vet. Pa.* CCCXLIIX. hæc ſiunt obvia: Ἀπαρχὴ δὲ εἴτε μέλι, εἴτε γάλα, ὡς εἴωθεν, προσφερέσθω ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐθίμῳ εἰς τὸ τῶν νηπίων μυστήριον. *Primitiæ, ſeu mel & lac offerantur, ut ſolent, uno die ſolemni ad infantium myſterium.* Confer quæ Menardus commentatus eſt ad *Greg. libr. Sacr. pag. CXLVII.*

S. Hieronymus in *Dialogo adverſus Luciferianos*, idem docet. *Multa alia*, inquit, *quæ per traditionem in eccleſiis obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt velut in lavacro ter mergitare caput, deinde egreſſos lactis & mellis concordiam prægustare ad infan-*

tiæ ſignificationem. Et *libr. XV.* in *Cap. LV. Eſaiæ Tom. V.* ſcribit: *Quod vinum miſcuit & Sapientia in cratere ſuo omnes ſtultos ſeculi, mundique Sapientiam non habentes provocans ad bibendum, ut non ſolum vinum emamus, ſed, & lac, quod ſignificat innocentiam parvulorum, qui mos ac typus in occidentis eccleſiis hodieque ſervatur, ut renatis in Chriſto vinum & lac tribuatur.* Alia loca, ne tractatio noſtra in molem excreſcat, miſſa facimus.

Ex quibus liquido conſtare arbitror, primo, mel & lac, vel vinum & lac uſu in Eccleſia Chriſtiana receptum fuiſſe. Secundo, mel & lac non infantibus duntaxat, verum adultis etiam & provectioris ætatis Catechumenis data & porrecta eſſe. Id quod Ordo Romanus de *Officiis divinis*, qui habetur *Tom.* XIII. *Bibliothecæ Patrum fol.* DCXCIX. pari modo docet, adjuncta conſecrationis formula, quæ talis: *Benedic Domine has creaturas lactis & mellis & pota famulos tuos fonte perenni, qui eſt Spiritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte & melle. Tu enim Domine promiſiſti Patribus noſtris Abrahæ, Iſaac, & Jacob dicens:* Introducam vos in terram promiſſionis: terram fluentem lacte & melle. *Conjunge Domine famulos tuos Spiritu caritatis & pacis, ſicut conjunctum eſt hoc lac & mel in Chriſto Jeſu Domino noſtro.*

Apud Joh. Mabillonium *libr. I. Muſei Italici* exſtat *pag.* LXVII. Johannis Diaconi epiſtola ad Senarium *de variis ritibus ad Baptiſmum pertinentibus*, in qua eadem ratio hujus inſtituti tangitur.

Qui

Qui locus luculento argumento eſt, hu-
smodi ritum diu in Eccleſia obtinuiſſe.
x quo deinceps alii populi pendere volu-
unt. In his ſunt Æthiopes, ceu ex *Tom.*
. *Bibliothecæ Patrum fol. LXXIV.* liquet.
enim Diaconus conſecrata exhibens
ce uſus introducitur: *Lac & mel imma-*
atum in generationem per Jeſum Chriſtum.
en!

II. de Euchar. Cap. XII: Forbeſium in *Inſt.*
, *Theol. libr. XII. Cap. I. n. VIII.*

Johannes Dallæus *libr. I.* de *Cultibus La-*
orum religioſis Cap. XV. de eo quidem du-
at, eo quod recentiores rerum Æthio-
arum ſcriptores, Franciſcus Alvarez,
dignus Mendeſius & alii nullam ejus
ntionem faciant. Verum, quam lubri-
n & imbecille hoc argumentum ſit, vel
tacente quilibet intelligit.

Nec eſt, quod adultioribus æque ac in-
tibus hæc eſſe porrecta, mireris. Etenim,
lti quoq; Catechumeni vel neophyti in-
tibus recens natis æquiparabantur. Id
ex aliis, tum ex eorumdem nomini-
, queis *Neophyti* & *Quaſimodogeniti* nun-
tur, ſole clarius elucet. Theodorus
on ad *Canonem X. Sardicenſem fol.*
CCLXVI. Νεόφυτος παρὰ τῷ Ἀποστόλῳ
οφώτιστος λέγεται. *Apud Apoſtolum* νεόφυ-
dicitur recens baptizatus. Eo nomine di-
tur frequentiſſime Cyrillo Hieroſoly-
no, qui aliquot Catecheſes ad Νεοφω-

Vide Joſefum Vice-Comitē libr. V. de Rit. Bapt. Cap. XXXV. Eſpencæum

Faciunt Brerewod. in *Scrut. Relig. Cap XIII. pag.* XCIX. & *Cap.* XV. *pag.* CXVII. Jobus Ludolfi in *Hiſt. Æthiopic. Comm.* Cap. VI.

πίστεως, ceu notiſſimum eſt, confecit. Quid quæris? Ipſe Petrus in eum uſum eam vocem adſumit 1. *Petr. II.* 2. ubi dicuntur: Τὰ ἀρτιγέννητα βρέφη τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα ἐπιποθήσαντα. *Modo nati infantes lac illud ſincerum ſermonis expetentes.*

Præclare de hoc loco Johannes Lorinus *Comm. in I. Petr. II. fol. CCVII.*

Num Apoſtoli, vel Patres id a Thalmudiſtis, an Thalmudiſtæ ab Apoſtolis & Patribus acceperint, alii contenderint. Mihi ſatis erit demonſtraſſe, Judæos *infantum* nomine ſuos recens converſos proſelytos pridem compellaſſe. Id patere puto ex *Jevamoth f.LXII.* גר שנתגייר כקטן שנולד דמי: *Proſelytus veluti infans, qui recens naſcitur*, habetur. Hoc axioma ſœpiſſime a Thalmudiſtis repetitur. Vide Moſen Mikotzi *Præcept. Adfirm. LI.* Schulchan Aruch *libr. Aben Haæzer Cap. CLVII.* Confer Joh. Ligthfootum noſtrum in *Horis Ebraicis & Thalmudicis* in *Johan. III.* Johannem Seldenum *libr. II. de Jure Gentium Cap. IV.*

Maim. Hilc. Iſsbia C. XIV. §. XI. Jore dea *fol.* XLIIX. C. I. L. XIII.

Quum igitur tam certum ſit, quam quod certiſſimũ, hæc ſvaviſſima conſecrata neophytis illis porrecta eſſe, non eſt dubiũ quin eorum uſui calices inſervierint. Hoc D. Hieronymus totidem verbis ſupra confirmabat. Adeoq; Anaſtaſii illius ante citati auctoritas non nudæ adſertionis temeritate, ſed publicæ auctoritatis teſtimonio ex Jovis, quod ajunt, tabulis, ſtipata cernitur.

Et quum hic actus cum Baptiſmo conjunctus

nctus eſſet, in facili eſt augurari, calices
os non male dici BAPTISMALES, vel,
PTISMI, prout eſt apud Anaſtaſium,
a pridem vidimus. Conſtat quidem ex
ſtoria eccleſiaſtica infantibus quoque ſa-
oſanctam euchariſtiam porrectam olim
e. Id ex S. Cypriano *Sermone de Lapſis*,
Auguſtino *Epiſt.* XXIII. *Libr. I. adverſ.*
ianum Cap. II. Gennadio Maſſilienſi de
leſ. Dogm. Cap. LII. aliisque locis pluri-
s patere arbitror. Multis hoc argumen-
n perſequutus eſt clariſſimus Elmenhor-
is *ad Cap.* LII. *Gennadii pag.* CLIV. Cu-
ſententiæ de uſus irrefragabili neceſſi-
e per ſexcentos fere annos ſuſceptum
rocinium pronunciat Johannes Maldo- Improbatur
us *Comment. in Johannem Cap.* VI. *fol.* Vide
CXVII. Cornelius a Lapide *Comment.* Gerhardum
Zachariæ Cap. IX. *fol.* DCCXXIX. *non-* *libr.* II.
tos annos venditat. Vide Coriolanum *Conſ.*
Summa Concil. fol. CCCXLVI. Joſefum *Cathol.*
cecomitem *libr.* V. *de Ritib. Bapt. Cap.* *Part.* II.
XV. Claudium Eſpencæum *libr.* II. *de* *pag.*
hariſtia Cap. XII. Johannem Forbeſium MC-
orſe in *Inſtruct. Hiſt. Theol. libr.* XII. Id XXX-
od hodie etiam obtinet apud Ruſſos, VII.
hiopes, Abyſſinos, Armenos, Maroni- Georg.
, prout eſt animadverſum Cornelio a Caſſander de
oide *Comm. ad Zachariæ Cap.* IX. aliisque *Infantum Baptiſm.*

B 3 earum

DCCXLIIX. Franciſcus Coriolanus in *Sum-*
Concil. fol. CCCXLVI. Huſſitas idem molitos
tat Franzius *Diſput.* II. in *Deuteron.*

earum rerum ſcriptoribus fide digniſſimis pluribus.

Verumenimvero, quandoquidem calix infantibus illis ut pars ſacramenti proprie ſtricteque ita dicti porrectus fuerit, & eucharistia ſacramentum ſit a baptiſmi ſacramento realiter diſtinctum, non dictus fuit calix ille BAPTISMALIS, ſed, quemadmodum re vera fuit, EUCHARISTICUS. Quare vero BAPTISMALIS & qui dictus fuerit, jam tum ante dictum eſt, in quo adquieſcere licet.

Quandoquidem autem hic ritus, ut baptiſmi corollarium & adpendix, progreſſu temporis ceſſaverit, horum calicum quoque uſus ceſſare cœpit. BAPTISMALIBUS igitur illis ſuo loco relictis, ad EUCHARISTICORUM duntaxat CALICUM contemplationem progrediamur oportet. Hoc enim nobis propoſitum eſſe, ex iis, quæ ab initio hujus diſcurſus noſtri in medium adtulimus, elucet.

Hoſce *calices* EUCHARISTICOS adpellamus ab eo actu ſacro, in quo eorum uſus nobilis & conſpicuus fuit, dicto εὐχαριστία. Quæ vox, quantumvis in genere quamvis gratiarum actionem, ceu notiſſimum eſt, denotet, in ſpecie tamen eo nomine ſacroſancta cœna Dominica venit. Hinc Juſtinus Martyr in *Apolog.* II. Ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία. *Alimentum hoc apud*

nos

os adpellatur *euchariſtia.* Latini Græcorum
Patrum veſtigia premunt, quemadmodum
x S. Cypriano, S. Auguſtino, aliiſque plu- Caſpar Svicerus in
ibus, adparet. Confer, ſi placet, Iſaacum *Theſauro Eccleſ.*
Caſaubonum *ad Annal. Baronii Exercit. XVI.* *Tom. I. fol.*
Cap. XXXI. MCCLXIX.

Pontificis Romani ſatellites, quum Pa-
rum antiquitatiſque quam ſtudioſiſſimi
rideri velint, hanc adpellationem ſuæ ec-
leſiæ propriam eſſe ſatagunt, qua hoc ſan- Joh.
tiſſimum epulum compellant; eos exigen- Henric° Hottinger°
o, quibus *cœnæ Dominicæ* titulus ad palatum *Diſput.*
ſt. In quibus Johannes Maldonatus eſt, VI. in
criptor virulentus, *Comment. in Cap. XXVI.* *Enneade pag.*
Matthæi, ubi ſic ſcripſit: *Ridicula eſt Luthe-* CVI.
ranorum inſcitia, qui, quaſi ſatis non haberent,
i rebus, niſi etiam verbis hæretici eſſent, nolue-
unt corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum
Euchariſtiam, *ut nos, ſed* Cœnam *adpellare,*
ut ſe non ſolum religionis, ſed etiam linguæ refor-
matores profiteantur. Porro, *Sine ſcripturæ*
auctoritate, ſine veterum auctorum exemplo, ſine
ratione, nullo judicio cœnam vocant, quum potius
merenda, ſi poſt prandium, prandium, ſi ad me-
ridiem, jentaculum ſi mane ſumunt, vocari de-
beret. Commentario in *Cap.* XIII. *Johannis*
2. inquit: *Euchariſtiam nemo Evangeliſtarum*
aut Apoſtolorum cœnam vocat.

Croquetius in *Catecheſi* CXXIV. Maldo-
nato ſuccenturiatus adeſt, inquiens: *No-*
men quo uno ac ſolo hæretici ſuum nuncuparunt

 ſacra-

ſacramentum eſt cœna Dominica, in qua re adtendant Catechumeni, quantum ſtultitiæ ſit ac veneni. Alii plures idem docuere & ſecus docentes eo nomine temere traduxerunt.

Sed, bona verba quæſo! numquid in ſacris adeo hoſpitem eſſe oportet? Spiritus S. lingua qui loquitur, non male equidem! ſed bene diſſerit. Vide 1. *Cor.* XI. Numquid in Patribus? Nihil hiſce ſolemnius, nihil tritius. Videri poterit S. Auguſtinus *Epiſt.* CXVIII. Theodoretus *Comment.* I. *Corinth.* X. S. Chryſoſtomus *Comm.* I. *Cor.* X. Numquid in ſua domo? Quantus eorum numerus, qui ea adpellatione utuntur? Vide Lindanum *libr.* IV. *Panopliæ Cap. XXXVII.* Cornelium a Lapide *Comment. ad 1. Cor. XI. 21.* Suarezium ad III. *Partem Thomæ Quæſt.* LXXIII. *Art.* III. Dionyſium Carthuſianum in *1. Cor. XI.* Johannem Baptiſtam Caſalium de *Ritib. Veter. Sacr. Chriſt. Cap.* VI. Quid multis? ipſorum Vrim & Thumim, Concilium Tridentinum *Art. de Euchariſtia Seſſ.* XIII. *Cap.* I. & Catechiſmus Romanus non faſtidiunt.

Quidquid hujus tamdem ſit. Nos epulum iſtud ſanctum & *Cœnæ Dominicæ* & *Sacroſanctæ euchariſtiæ* nomine compellamus. & hoc poſteriori quidem duabus de cauſſis. Primo reſpectu illarum gratiarum, quas Servator hoc ſacramentum inſtituens, Patri

i ſuo cœleſti inter cœnandum egit, qua-
im mentionem Evangeliſtæ faciunt, &
nčti Patres referunt, Juſtinus Martyr
pol. II. Irenæus *libr.* IV. *adv. Hæreſ. Cap.*
XXIV. Origines *Contra Celſum libr.* II X.
hryſoſtomus in *Matthæum Homil. XXV.*
ılgentius in *libr. de Fide ad Petr. Cap.*
IX.

Secundo, quod hoc ſacramentum in ſe
bona quædam gratia, ſaluti noſtræ inſerviens.
æc Thomæ eſt, Doctoris Angelici, quæ
iam Edmundo Albertino *libr.* I. *de Sacra-*
ento Euchariſtiæ Cap. I. placet. Sed, prior &
ϛrior & ſolidior ſuo merito habeatur,
ıam nobis etiam Pachymeres, Dionyſii
reopagitæ Commentator, ad *Cap.* I. de
eleſti Hierarchia, commendat. Ευχαριςίαν
γει τὴν θείαν μετάληψιν, ὡς τȣ̃ Κυρίȣ ἡμῶν
ήκα παρεδίδȣ τὸ τοιȣ̃τον θεῖον μυςήριον, εὐχαρι-
σαντ☉, καὶ ἡμῶν ὀφειλόντων εὐχαριςεῖν, ὅτι
ȣ́των ἀγαθῶν τετυχήκαμεν. *Divinam commu-*
onem euchariſtiam *vocant, eo quod Dominus*
ter quando divinum illud myſterium tradidit,
atias egerit, nobisque ſint agendæ gratiæ, quod
nta bona ſimus conſequuti.

EUCHARISTICOS inde CALICES in
ıchariſtiæ ſacroſanctæ celebritate uſuque
lhibitos dicere maluimus, quam COE-
ALES, quum prior illa adpellatio uſita-
or & frequentior ſit, quam hæc poſterior;
: alias rationes modo ſilentio ſacro præ-

 teream.

tereaꝫ. Scilicet, quum CALICES illi, de quibus diſſertatio ſuſcepta nobis eſt, inſtrumenta fuerint, quorum benificio & interventu communicantibus alterum cœnæ Dominicæ ſymbolum, vinum puta conſecratum diſtributum eſt, optumo equidem ! jure EUCHARISTICI dici poſſunt.

CAPUT III.

De

Calicum Euchariſticorum Ortu & Origine.

HI vero *Calices* originem ſuam illi debent, quem Chriſtus in cœnaculo Hieroſolymitano, adpetente paſſionis & mortis hora, diſcipulis ſuis congregatis in ſui memoriam ebibendum porrexit, & cœteris deinceps Chriſtianis idem illud faciendum ſanctiſſime præcepit.

Non unis autem nominibus ille cum in Scriptura ſacra, tum in monumentis Patrum primitivæ eccleſiæ audit. A Chriſto *Luc. XXII. 20.* dicitur: Ποτήριον τῆς καινῆς διαθήκης ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι. *Calix novi federis in ſuo ſanguine. 1. Corinth. XI. 27.* vocatur Ποτήριον τοῦ Κυρίου. *Poculum Domini.* A Domino & inſtitutum & ordinatum in uſum diviniorem & ſanctiorem, prout deinceps ediſſe-

ſſeretur. 1. *Cor. X.* 16. Τὸ ποτήριον τῆς εὐ-
ίας *Poculum Benidictionis.* Cujus ratio-
n adpellationis S. Chryſoſtomus *Homil.*
XIV. in 1. *Cor.* X. ſuggerit; inquiens : Πο-
ιον Εὐλογίας ἐκάλεσεν, ἐπειδὰν αὐτὸ μετὰ χεῖ-
ἔχοντες, οὕτως αὐτὸν ἀνυμνοῦμεν, θαυμάζον-
, ἐκπληττόμενοι τῆς ἀφάτου δωρεᾶς, εὐλογοῦν-
ὅτι καὶ αὐτὸ τοῦτο ἐξέχεεν. Poculum bene-
tionis *vocavit, quod illud habentes in mani-*
, *ſic laudibus eum proſequimur admirantes*
ffabile donum ſtupentes, laudantes, quod eum
m effudit.

Gemina hiſce invenire licet apud epito-
torem & interpolatorem hujus S.Chry-
tomi, Theophylactum, in 1. *Cor. X. fol.*
XLIV. Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, τουτέστι τῆς
χαριστίας. Ἐπὶ γὰρ χεῖρας αὐτὸ ἔχοντες, εὐλο-
μεν καὶ εὐχαριστοῦμεν τῷ τὸ αἷμα αὐτοῦ ὑπὲρ
ῶν ἐκχέαντι, καὶ ἀπορρήτων ἀγαθῶν ἀξιώ-
τε. *Poculum benidictionis, hoc eſt* euchari-
æ, ſeu gratiarum actionis. Siquidem hoc ma-
us tenentes, laudamus eum, eique gratias agi-
s, qui ſangvinem ſuum pro nobis effudit, &
ffabilia in nos conferre bona dignatus eſt.

Priſcæ & primitivæ eccleſiæ Patres cum
ræci, tum Latini multis nominibus aliis
oc poculum exornarunt. Magnam eo-
m meſſem metere habemus, apud S.
hryſoſtomum. Huic vocatur *Homilia*
1. *Cor. LXXXIV.* Ποτήριον πνευματικόν. *Ca-*
ſpiritualis, σωτήριον, *ſalutaris* Homil.
CXXIII.

CXXIII. Ποτήριον βασιλικὸν, *Calix Regius*. Socrati *libr. I. Hiſt. Eccleſ. Cap. XXVII.* dicitur Ποτήριον μυστηρίων, *Calix myſteriorum*. Infinita plura alia apud eosdem fiunt obvia, quæ indelibata modo relinquere juvat.

Nec Patres Latini in ejuſcemodi nominibus fabricandis remiſſiores ſeſe oſtenderunt. Id ipſorum monumenta adfatim confirmant. S. Tertulliano *libr. II. ad Vxorem Cap. VI.* vocatur: *Poculum participans ſanguinem Chriſti*. S. Ambroſio, quamvis minus genuino 1. *Cor. XI. Calix myſticus adpellatur*. Item, *Calix vitæ*. Pluribus immorari haut juvat.

Ante vero quam de hiſce *calicibus* ex modo commemorato natis ulterius & amplius diſſeram, *calicum* uſum in genere a ſuis inde incunabilis ſi deduxerimus, non ingratum fore arbitrari licebit. *Magnum quippe eſt virtutis principium inveſtigandæ gratia*, uti Polydorus Virgilius loquitur, *Præfatione in Libros de Inventoribus rerum ad Odoaxium Patavinum*.

Quum igitur rerum omnium conditor Deus ter Opt. max. naturam hominis ſic fabricatus eſſet, ut cibo & potu vitam ſuſtentaret, & famem & ſitim ejus ὄρεξιν ſolicitaret, neceſſe erat. Sunt quippe fames & ſitis adpetitiones. Omnis vero adpetitio rei alicujus defectum ſequitur. Fame igitur & ſiti ſtimulantibus, animal defectu laboret,

-poret, ſine omni dubio creditur. Penu-
-æ vero hujus cauſſa gemina in ventricu-
ſtatuitur. Vna communis omnibus ali-
partibus, alia vero propria. Communis
ſt abſumtio humidi nativi ipſius ventri-
uli, facta ab innato calido, hoc enim vora-
iſſimum exiſtit continuoque agit in humi-
lum radicale.

Propria vero cauſſa eſt ſuctio & tractio illa, qua cætera membra trahunt alimentum a ventriculo, tamquam e communi promtuario. Hoc tamen quodam ordine. Nam, partes in habitu corporis a venis, venæ a jecore, jecur per meſeraicas a ventriculo & inteſtinis alimentum petit. Quod ſi jecur aptum ſuccum invenerit, illum tenere ac blande exſuctum in ſangvinem ſenſim atque ſenſim convertit. Sin minus, proprium humorem ventriculi exſugit. Vnde, dum hujus defectum ventriculus percipit, percipit autem facillime, quum ejus pars ſuperior nervis a cerebro deſcendentibus ſit intertexta, alimentum adpetere cogitur, quo defectus ille reſarciatur. Et talis adpetitus vel *famis*, vel *ſitis* nomine venit. *Famis* quidem, quando defectus eſt ſiccæ ſubſtantiæ: *Sitis* vero quando humidæ ſubſtantiæ penuria adeſt. Et hæ quidem cauſſæ ſunt internæ. Externæ accedunt ab aeris calore, animi corporisque motu. Horum quippe acceſ-

ſu

ſu humani corporis ſubſtantia ſpiritus ac vires cœca per poros exhalatione continuo diſſipantur. Frigus etiam externum ad ventriculi tunicas pertingens, condenſando & exprimendo eas inaudit, & hac ratione naturalis ac ſubinde animalis adpetitus ſeu famis ſitisque cauſſa exiſtit. Adi etiam Philippum Sechtlenum in *Lapide Lydio inediarum Cap. V.* Gerardum Johannem Voſſium *libr. III. de Idololatria Cap. XXXVI.*

Quæ quum ita ſint, & neceſſitas & honeſtas fruendis eſculentis & poculentis vaſcula quædam apta nata invenere, in quibus cum præparari, tum adponi, & ex eisdem quoque capi & carpiſſcite ac commode potuerint. Alexander Sardus Ferrarienſis *libr. II. de Inventoribus Rerum Capit. X.* memoriæ tradidit: *Toreuticen Phidiam reperiſſe. Speuſippum Athenienſem ex graciloribus lignis feciſſe vaſa in ventrem tumentia. Fictilia in Samo facta, figulari rota ab Anacharſi reperta.*

Verumenimvero, qui rem æqua mentis lance penitius penſitaverit, originem & vaſorum & poculorum altius repetendam eſſe, fatebitur. Nullum enim eſt dubium, quamdiu homines ſitibundi fuerint, tamdiu quoque vaſcula & pocula, licet non æque ſcite ac polite ſemper elaborata & efficta obtinuiſſe. Cavis quidem manibus, neceſſitate ita flagitante, nonnihil aquæ ad reſtrin-

reſtringvendam ſitim hauriri poſſe, certum eſt. An vero primævis hominibus modus ille placuerit, vix ac ne vix quidem crediderim. Ore ex præterlabente flumine animalium inſtar irrationalium aquam fuiſſe exceptum, non mihi equidem! perſvadeo.

Inficias quidem ire non poſſum, utriusque modi *Iudic. VII. 5.* veſtigia ſeſe ejicere. Ibi enim hæc in literis exſtant: *Et deduxit*, Gideon, *populum ad aquam, & dixit Dominus ad Gideonem. Quiſquis lambet lingva ſua ex aqua, ſicut lambere ſolet canis ſtatuito eum ſeorſim & omnem qui incurvavit ſeſe in genua ſua ad bibendum §. 6. Fuit igitur numerus eorum qui manu ad os projiciente lambuerant aquas trecenti viri, omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.* Ecce! clariſſimum de eo, quod diximus, locum. Et cava manu, & ore aquam ad reſtringvendam ſitim, exceperunt.

Verum, hoc erat quidquam extraordinarii & ſimul ſymbolici, quod ubique non obtinebat, nec ſemper, ſed Dei peculiari diſpenſatione, prout Gatakerus noſter in *Cinno lib.* II. *Cap.* XVIII. *pag.* CCLXIV. pluribus proſequutus eſt. Ab hoc vero non licet ad id, quod ordinarium & perpetuum eſt, inferre, ceu quivis, vel me tacente, facile intelligit. Ea enim tempeſtate & vaſa & pocula in uſu fuiſſe, ex non

non unis locis palam & manifeſtum eſt.

Male tamen moratos nonnumquam id bibendi genus & cava manu & ore ſuum feciſſe, hiſtoria antiqua teſtatum facit. Hinc Diogenes cognomento Cynicus, quũ a quodam manu cava aquam exceptam cerneret, vaſculo ſuo potorio, utpote minus neceſſario, ejusdem in bibendo imitatorem egit. Achilles Tatius *libr.* IV. de Ægyptiis propter Nilum habitantibus, idem memoriæ prodidit, inquiens: Ἐθαύμασα δὲ αὐτοῦ κατὰ τὸν τρόπον τοῦ πότου, οὔτε γὰρ ἀρύσαντες πίνειν ἐθέλουσι, οὔτε ἐκ πωμάτων. *Quin ipſum quoque illorum bibendi morem admiratus ſum, neque enim cadis aut poculis, ſed, ſua ipſorum manu bibituri utuntur.* Manus hiſce vaſculum vel poculum ex quo biberunt.

De altero bibendi modo, quem inſinuavimus, dum ore polum excepere, indicia quoque in mundialibus Scriptoribus ſunt manifeſta. Strabo *libr XVI. Geographiæ:* Ἰχθυοφάγοι ῥιφθέντες πρηνεῖς πίνουσι βοῶν δίκην. *Ichthyophagi autem proni projecti more boum bibunt.* Apollonius *libr. IV. Argonautic.* Herculem bibentem introducens, ſic modulatur: Αὐτὰρ ὅ γ' ἄμφω χεῖρε πέδῳ καὶ στέρνον ἐρείσας

Ῥωγάδος ἐκ πέτρης πίεν ἄσπετον, ὄφρα βαθεῖαν

Νηδὺν φορβάδι ἶσος ἐπιπροπεσὼν ἐκορέσθη.

Quæ

…æ ita vertuntur:

Ille autem, Hercules, *manu utraque & pectore humo* niſus

E fiſſili ſaxo bibit ductim profundum in ventrem

Veluti pecus paſcuum adfatim ingurgitans & adpronatus.

De Darii militibus Quinctus Curtius *libr. V. Hiſt. Alex.* hæc refert: *Paſſim ad omnes rivos proſternentibus corpora & præterfluentem aquam hianti ore captantibus.*

Verumenimvero, ordinarium bibendi modum apud moratiores gentes, quales Ebræi, aliter ſeſe habuiſſe, mihi omnino perſuadeo. De vaſculis igitur & poculis, utut ab initio minus politis, ſine dubio omni ſibi proſpexerunt. Et quum Adam', qua erat inveniendi facultate a Deo inſtructus, inſtrumenta ad colendam terram invenerit, non eſt quod dubitemus, ejuſcemodi vaſcula & pocula eidem quoque inventa eſſe.

CALICUM quidem & poculorum in Joſefi hiſtoria demum mentionem fieri *Geneſ. XLII.* certum eſt. Dicitur enim ibi: *Calicemque Pharaonis in manu tua.* Ubi Pincernæ factum deſcriptum in literis exſtat, qui priſtino ſuo muneri reſtituendus introducitur. Quomodo etiam in marmoribus Romanis apud Petrum Ciacconium in de *Triclinio pag. XCV.* depictus in medio

proſtat. *Cap. XLIII. 34.* meminit Spiritus S. convivii, in quo liberalius equidem! biberunt. Huic quin pocula inſervierint, nullum eſt dubium. *Cap. XLIV. 2. Calicis* diſerta adpellatio exſtat, & in ſequentibus. Dicitur *LXX.* ποτήριον. Joſefus *libr. II. Antiq. fol. XLII.* vocat φιάλην. Quidquid ſit, vaſcula tunc temporis jam tum uſitata fuiſſe, liquido conſtat.

Non eſt vero quod inde inferamus, non fuiſſe notum antea calicum uſum. Etenim, a negatione hiſtoriæ ad negationem rei peractæ non equidem! conſequentia valet. Sane! de Noa *Geneſ. IX. 21.* dicitur: Καὶ ἔπιεν ἐκ τοῦ οἴνου, καὶ ἐμεθύσθη. *Et bibit,* Noa, *de vino, & inebriatus eſt.* Hoc vinum procul dubio in vaſculo, vel calice ſumſit, ex hoc quippe omnium commodiſſime bibi potuit.

De Abrahamo *Geneſ. XVIII. 8.* relatum exſtat, quod *lac & butyrum* adventantibus hoſpitibus adpoſuerit. Hoc in patenis & vaſculis peractum putamus. Quemadmodum vero cibus honeſte in vaſculis adpoſitus fuit, ſic de potu idem judicium ferendum fuerit. Erat enim Abrahamus vir optume moratus, quem juvabat tamquam *coram Domino* edere & bibere.

Sequenti *Cap. XIX. 32.* Filiæ Lothi vinum e Sodoma adſportatum ad ebrietatem uſque Patri porrexere. Hoc ſine omni ſuſpicio-

ſpicione falſi in vaſculo portatum & ex
lice vel poculo potatum dicere licebit.
uod ſi nonnullis pictoribus fides haben-
a, res omnis in vado eſt. Hi quippe *cali-
s* in Lothi pictura & hiſtoria exhibent
onſpiciendos.

Et, quemadmodum in Pharaonis & Jo-
efi hiſtoria totidem verbis omnium pri-
num *calicis* facta eſt mentio, & quidem
on unis, ſed iteratis vicibus, ceu omnibus
atere exiſtumamus: ſic ex eo inde tem-
ore in ſacris *calicum* & poculorum diſer-
ior & frequentior mentio reperitur; quæ
non unius formæ fuerunt, ſed diverſas ſpe-
cies retulerunt, prout deinceps, data oc-
caſione, dicetur.

Nunc tantum inferendum eſſe putam': Ebræos primos omnium fuiſſe, qui vaſcula & pocula, ut ſupellectilia alia plura fabricati ſunt. Ab his, ut plura alia, ad gentes, Ægyptios & reliquos populos *calicum* uſus ſenſim atque ſenſim, prout conſvetudo ferre ſolet, defluxit. Hinc *calicum* apud gentes ampliſſimus equidem! adparatus cernitur, ceu ignorare nequeunt, qui veterum forulos ea, qua par eſt, induſtria, excuſſerunt.

Quemadmodum vero alias profana in ſacra & ſacra in profana verti poſſunt, & ſœpiſſime etiam vertantur; ſic idem illud *calicibus* quoque accidit. Hi enim a profa-

no in ſacrum uſum elevati & adſumti leguntur. Etenim, in reliqua ſupellectili, quam Deus in tabernaculo ſuo ſancto conſtituit, *Scyphi* quoque adparent. *Exod. XXVII. 16. Et fecit vaſa, quæ ſuper menſam, ſcutulas ejus & cochlearia ejus* ואת־מנקיתיך *cyathos ejus*, prout vertit Xantes Pagninus. Vulgatus effert: *Scyphos LXX.* Κυάθυς. Quomodo etiam accipit Johannes Lorinus *Comm. in Num. IV. 8.* Munſterus quidem aliter exponit de ſuſtentaculis panibus facierum adplicatis, per quæ a putrefactione vindicarentur, quæ ipſis alias a contactu mutuo accidere poſſet. Oleaſter inſtrumenta fuiſſe putat mucorem abſtergendi apta. Reſponderit etymon. Confer R. Salomonem ad *Exod. XXV. 29.* Johannem Buxtorffium *in Lexico Thalmudico* verbo סניף

Quantumvis autem interpretes in alia omnia circa hunc locum abeant, non eſt tamen dubium, quin calices quoque in ſancta ſupellectili adparuerint. Hi quippe locum ſibi vendicant inter כלים *vaſa* illa, quæ *Esdræ I. 10.* referuntur. Id quod ex eo quoque adparet, quod Belſazar vaſibus a patre ſuo e templo raptis ad potandum cum pellicibus ſuis, abuſus fuerit. *Dan. V. 2, 3.* Audiunt: למאני Nec Judæi id negare audent. Hos inter R. Jacob Jehuda Leo in de *Templo Hieroſolymitano libr. I.*

Cap.

Cap. *IIX.* Joſefus *libr. IIX. Antiq. Jud. Cap. III.*

Gentes Judæorum mores imitando in ſuis templis, vel delubris potius expreſſerunt. Id multis confirmari poſſet, modo id ageretur. De multis tamen pauca. Guilielmus Braſſicanus, Gallus, in *Antiquitatibus Romanis* ethnicorum in ſacris vaſa uſitata recenſet. Talia fuere, *Acerræ, thuribula, præfericula, ſimpula.* Cicero in *Paradoxis* refert, *Capedines & fictiles cernas. Candelabra, pateras, diſcos, Seceſpitas, ſevas, Enclabrias, Dolabras, ollas, aquiminarias, adſperſorias.* Erat quippe Diabolus ſimia Dei, ſacrorumque ejus populi imitator indefeſſus.

Confer Guilielmum de Choul *de La Religion des anciens Romains* qui Latine verſus anno LXXXVII. Amſterdami prodiit Johannes Saubertus in *Collectaneis de Sacrificiis.*

In reliquis vero illis modo recenſitis vaſib° gentilium *Calix* ille excellebat, quem ſuo nomine vocarunt *Simpuvium.* Vide Plinium *libr. XXXV. Hiſt. nat. Cap. XII.* Juvenalem *Satyr. VI.* Arnobium *libr. IV. adverſ. gentes.* Nonium Marcellum de *Proprietate vocum Cap. XV. Diſt. XII.* & alios plures, qui de eo commentati fuerunt.

Varro *libr. IV. de LL.* a *ſumendo* dictum putat. Alii *Simpuvium,* quaſi *Simbuvium* nuncupatum volunt. Scholiaſta Juvenalis ad *Satyr. VI.* cum quo facit Fridericus Taubmannus *Comment. ad Plauti militem glor. Act. III. Sc. II. Num, Sabini,* inquit, *a quibus translata ea vox eſt,* P pro B efferebant. Pergit Taubmannus: *Origo autem hujus dictionis, ut*

dicere cœperam, Græcani a: quia Bῦ *pro* magno *ponebant.* Et Sophion βύβα pro *plena*.

Doctiſſimus Rubenius *libr. II. Electorum Cap. IIX.* Godeſchalcus Stewechius *Notatis ad Arnobium pag. CVII.* Lazarus Bayſius *libr. de Vaſculis pag. XCIX. & ſeqq.* aliique Philologorum plures quanti quanti ſunt, toti ſunt in inveſtigando vocis hujus origine genuina, quos conſulere licebit. Procul dubio omni hæc vox ab Etruſcis manavit. Ab his ad alios ſeſe diffudit populos. Hinc ſunt, qui eam deducunt ab Ebræorum כפל quod reperire licet *Judic. V. 25. & VI. 38.* Vbi Munſterus, Johannes Piſcator, Tirinus & alii verterunt: *Phiala Principum.* Tremellius vertit: *Simpulum*, quæ verſio ad palatum Hugonis Grotii & Johannis Druſii eſſe videtur. Confer Johannem Buxtorffium in *Lexico Thalmudico verbo* כפל Chaldæus effert: פיילי quod eſt Ebræorum φιάλη LXX. habent λεκάνη. Id quod nonnullis improbatur. Scaliger in *Conjectaneis* a Græcorum σίφων deducit, unde eſt *Simpon* & diminutivum *Simpulum.*

Sed, quid de vocis origine laboramus, quum de ſenſu ipſo abunde conſtet? Hoc vaſculo in delubris gentium ſacrificatum novimus. Id ex Apuleji *Apologia pag. CCLXXXV.* manifeſtum eſt: Svetonius *libr. VII.* idem illud enarrat, inquiens: *Nihil invenit præter tepidam in area favillam,*

atra-

atratumque juxta ſenem in catino vitreo thus terentem & in calice fictili merum. Hic *Calix fictilis* quam rectiſſime exponitur *Simpulum.* Adi etiam Virgil. *libr. IV.* Georg. Macrobium *libr. V. Sat. Cap. XXXI.* aliosque plures, qui plena manu de hoc argumento teſtimonia nobis admetiuntur.

CAPUT IV.

De Calicum Eucharisticorum Origine, propior & accuratior conſideratio.

QUantumvis igitur hæc ſatis eſſe poſſint ad perſpiciendam veram CALICUM EUCHARISTICORUM originem, nihilominus tamen propius hoc argumentum tangere penitiusque inſpicere, operæ pretium fuerit. Etenim, non ſufficit de longinquo, ſed prope cujuslibet rei indolem & naturam contemplari, nec in cortice hærere, ſed in nucleum ipſum agere.

Hoc ut tanto felicius abſolvatur, memoria præcepti de eſu agni Paſchalis altius repetenta veniet. Hic *Exod. XII. 2.* in memoriam liberationis a ſervitute Ægyptiaca quotannis frequentabatur. לדרת חקת עלם Sunt ipſius Dei verba. Hæc Joſe-

ſus *libr. II. Antiq. Iudaic. Cap, V.* attendit, ſic ſcribens: Νῦν ἔτι κατὰ τὸ ἔθος, οὕτως θύομεν, τὴν ἑορτὴν πάσχα καλοῦντες. *Nunc quoque ſolemne manet nobis idem ſacrificium.*

Quod ſi præceptum illud penitius inſpiciamus, de uſu duntaxat Dominum ſtatuiſſe, ſecus vero de potu. Num igitur arbitrari liceat epulum illud Paſchale fuiſſe ſiccum? Non eſt equidem! quur hoc nobis perſuadeamus, eſus quippe potum deſiderat, quod etiam obſervatum in cœna Paſchali fuit, quantumvis nihil de eo referatur, ceu loci illius inſpectio patefacit. Quod argumento eſt luculentiſſimo aliter à rei exordio fuiſſe, ac poſt aliquot ſeculorum tractum factum deprehendimus.

Scilicet, progreſſu temporis non ſolum eſus ille integer & ſalvus permanſit; ſed de potu & poculorum in illa cœna Paſchali uſu conſtitutum quoque eſt. Etenim, quantum ex Judæorum libris intelligimus, QUATERNARIUM ſuum fecerunt. Quem nobis etiam obſervatum reliquit doctiſſimus Johannes Buxtorffius in *Synagoga Iudaica Cap. XIII. Quatuor ſingulis cyathos infundendos ordinarunt Rabbini, quos etiam ſinguli exhaurire debent.* Cum hoc facit R. Leon de Modene, Rabin de Veniſe, in *Ceremonies & Couſtumes qui s' obſervent aujourd' huy parmy les Juifs Part. II. Chapitr. IX. pag. LXIII.* qui ſimiliter *quatre Coupes* enarrat.

Hujus

Hujus numeri cauſſas non unas, more ſuo, in medium adferunt Rabbini. Mordochai in הלכות פסח *f.CLXI.* eas anxie conquiſitas exhibet. תקנו חכמים שצריך כל אדם לשתות ד״ כוסות זכר לד״ גאולות וד״ לשובות של גאולה הכאמרי׳ בגאולה מצרים בפ״ וארא והוצאתי והצלתי ולקחתי: *Sancivere Sapientes ut obſtrictus eſſet quilibet ebibere IV. pocula, in memoriam quatuor redemtionum & quatuor verborum redemtionis uſurpatorum in hiſtoria liberationis ex Ægypto, in* Paraſch Vaere, *quæ ſunt* והוצאתי *& educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum* והצלתי *& eruam de ſervitute,* וגאלתי *ac redimam in brachio excelſo & judiciis magnis* ולקחתי *& adſumam vos mihi in populum.* Hæ quatuor liberationum promiſſiones, quatuor illa pocula in cœna Paſchali exhaurienda peperere. Sed, more Judaico.

Alii tamen alias comminiſcuntur cauſſas, quum Rabbinis, ceu notum eſt, commenta placeant. Alludi quippe hiſce quatuor populis arbitrantur ad quatuor monarchias. Vel ad illa quatuor pocula, quæ Iſraelitis adpoſiturus eſſet *Pſalm.* XXIII. 5. XVI. 5. CXV. 13. Aut ad quatuor alia *vindictæ* dicta, quibus gentibus interitum acceleraturus eſſet. *Jerem. XXV. 15. LI. 7. Pſalm. XI. 6.*

Quamtumvis autem de Moſe & reliquis eum ſubſequutis Dei miniſtris adeo liquido non conſtet, quid de potu & poculo diſpoſitum ſit; non eſt tamen, ceu pridem diximus, dubium, quin ejus ratio pari modo habita fuerit. An vero tot pocula, quot deinceps in uſum accepta in cœna Paſchali deprehendimus, de eo valde dubitare licebit. Quemadmodum enim plerumque fieri ſolet, ut ex parvis initiis magna incrementa, tamquam e parva glande magna & procera quercus, prodire ſoleant: ſic a parvis & inconditis ac rudibus ritibus, religio, non dicam ſuperſtitio, in magnum & amplum eorumdem cumulum degenerare ſolet. Id quod in Judaica & Pontificia eccleſiis in primis animadvertere licet. Judæorum enim ingenia quum in ritus externos eſſent prona & proclivia & iisdem a teneris, quod ajunt, ungviculis imbuta fuerint, πατροπαράδοτα ut plurima alia, ſic poculorum Paſchalium numerum adauctum ivere, prout non ſine ratione credamus. Olim enim non fuit ſic. Nam, ut doctrina excellentiſſimus Samuel Bochartus *Tom.* I. *Hierozoici libr.* II. *Cap.* I. bene animadvertit: *Alios Paſchatos ritus ſuperſtitio invexit, alii vero fuere perpetui & fixi, alii duntaxat Ægypto proprii.* Quamobrem ii ritus non inveniuntur in ſacris vel veteris, vel novi pacti libris, qui in Judæorum libris

Rabbini-

Rabbinicis. Quo referre etiam liceat numerum poculorum Paſchalium quaternarium.

Hoc Judæi inficias ire nequeunt. Proinde ingenue etiam profitentur, מצוה ד״ כוסו *Præceptum quatuor poculorum non eſſe* juris divini, ſed humani duntaxat. Id verba diſerte patefaciunt: תקני חכמים *Sancivcrunt Sapientes.* Ergo inventum & inſtitutum eſt Rabbinicum, non Dominicum & divinum, adeoque non Scripturæ, ſed traditionis Rabbinicæ.

Quod præclare etiam docet Judaicarum rerum peritiſſimus Johannes Buxtorffius in *Synagoga Judaica Cap. XIII. Facile,* inquit, *perſpici poteſt, Judæos feſtum Paſchatos non amplius ex Moſis, vel Dei præcepto celebrare & obſervare, ſed juxta Rabbinorum ſuorum traditiones, quæ plures apud illos, quam Dei præcepta ſiunt, ut manifeſto ex illorum Thalmude adparet, in quo ingens tractatus* פסחים *Peſachim dictus, de hujus feſti obſervatione habetur.*

Nihilominus, quod mirari ſubit, non divites ſolum, ſed pauperes quoque ei præcepto de quatuor poculis adligant. Id ex ante citato R. Mardochai denuo palam & manifeſtum eſt. ואפי׳ מי שאינו שותה יין מפני שמזיקו או שובאו צרי״ לרחוק עצמו ולשתותו לקיים מצוה ד׳ כוסו׳: ואפי עני המתפרנס מן הצדקה לא נתנו לו סדי צרכו ימכור

ימכור מלבושו או ילוה או ישכיר עצביר בשביל יין לד׳ כוסות הכל חייבין בד׳ כוסות:

Etiam qui non ſolet bibere vinum, eo quod noceat ſibi, oditve illud, opus habet ſemetipſum comprimere, illudque bibere, ut perſiſtat præceptum de IV. poculis. Quinimo, pauper, qui ſuſtentat ſe ex eleemoſyna, ſi nihil ei largiatur, neceſſe habet, ut vel vendat veſtem ſuam, aut pecuniam mutuo accipiat, aut mercenarius fiat, tantum propter vinum IV. poculorum, ad quæ omnes adſtricti ſunt. Vbi geminum caſum deprehendimus, & abſtinentiæ a vini uſu, & paupertatis vel egeſtatis. Certe! ſi quiquam alii, hujus ſane! condicionis immunes ab onere IV. calicum eſſe debebant, ſed hi non fuere immunes, ſicut Mardochai refert, ſumma igitur obligatio apud Judæos fuerit calicum illorum quatuor, omni luce clarius adparet.

Hos ד׳ כוסות Rabbinis ordine enumeratos vinoque repletos in eorum Scriptis cernimus. Quamobrem ultro citroque in iis ſeſe nobis offert כוס א׳ apud R. Mordechai in *Hilcut Pæſach fol. CLXI.* כוס שֵׁנִי in *Maſſ. Pæſachim* כוס שלישי R. Ben Maimon in הלכות חמץומצה׳ל & denique כוס רביעי in *Maſſ. Pæſachim*, ut & apud Maim. l. c. Vbi de horum poculorum hauſtu, vino &c. multa differuntur, quæ ſcire quidem jucundum eſt, nos tamen in præ-

ſentia

ſentia aliis intenti parum equidem ! moramur.

Id ſaltim notandum eſſe putamus, *primum tertium & quartum calicem* ſuis nominibus notanter eſſe inſignitos. Etenim, כוס א׳ *Calix primus* כוס ראשין a Mardochai non ſolum dicitur; verum etiam כוס קדוש *Poculum ſanctificationis*. Duumviri quidem inter eruditos maximi Ludovicus Capellus & Joh. Buxtorffius de hac adpellatione contentionis ſerram trahunt, & Capellus quidem adpellationem illam negat. Verum, in eo fruſtra eſt. Vbivis enim in Scriptis Rabbinorum fit obvia. In *Orach Chaim Num. CCLXXI. §. XIII.* In *Levuſch Habor Num. CCLXXI. §. X.* Adi etiam Johannem Buxtorffium in *Vindiciis Exercit. de Cœna Domini Diſſert. VII. §. LXXII. & ſeqq.*

Tertium *calicem* nuncupatum reperio כוס הברכה vel dialecto Syro-Chaldaica אכסא דברכתא *Poculum Benedictionis.* Sic vocatur in *Oracha Chajim* סעודה הלכות *num. CLXXXII.* למב״ם in הלכות ברכות *Cap. VII. §. XV.* Confer Buxtorffium d. l. §. LXXIII.

Quartum adpellant כוס הלל in *Maſſ. Pæſachim* תנן רבנן רביעי גומר עליו את ההלל ואומר הלל הגדול *Perhibent Doctores noſtri, ad quartum poculum abſolvit* Hallel, *recitatque magnum* Hallel. R. Maimonides in הלכות חמץ ומצה de eo ſic ſcriptum reliquit :- ואחכ מיזג כוס רביעי וגומר עליו את ההלל:

ההלל : ואומר עליו ברכת השיר והיא יהללוך יי״ כל מעשיך : *Exinde infunditur poculum quartum & abſolvit ſuper eo hymnum: recitat etiam ſuper eo benedictionem cantici, quæ eſt:* Laudent te Domine omnia opera tua. Scaligero & aliis viris longe doctiſſimis dicitur ποτήριον ὑμνήσεως. Buxtorffius Scaligero contradicturus hoc negare non erubeſcit. Cujus monetæ videtur eſſe, quod arbitretur, hymnum illum non dici *Halleluja magnum*.

Verumenimvero, in *Maſſ. Peſachim* totidem verbis dicitur הללויה גדול alias etiam vocari ſolet : הלל מצרי *Hymnus Ægyptius*, quod ante egreſſum ex Ægypto decantatus fuerit. In Thalmud totidem verba de eo nobis fiunt obvia: מהיכן הלל הגדול *Unde incipit* Hallel haggadol, id eſt, *Hymnus magnus*? Religio vero nobis eſto hiſce, præter neceſſitatem, immorari.

Hiſce igitur in anteceſſum poſitis ad deciſionem ejus, cujus gratia hæc in medium adducta ſunt, digredimur. Et principio quidem conſtat, hæc quatuor pocula, in celebritate agni Paſchalis adhibita fuiſſe. Num hæc vero huic actui propria fuerint, ſic, ut nulli alias actui profano inſervierint; de eo minus liquet. Probabile videri poſſit, in primis ſi ditiores & religioſiores ſpectes. Nihilominus etiam eſſe potuit, ut talia adhibita

hibita fuerint, quæ alio tempore alius eſſent uſus profani. Vnius enim rei poſſunt eſſe plures fines & poteſt profanum ad ſacrum, data occaſione, uſum elevari. Quemadmodum enim communis & quotidiani uſus menſas adhibuere; ſic ſine dubio etiam vaſcula & pocula alterius uſus, apud eos maxume, quibus domi curta ſupellex.

Quandoquidem vero Chriſtus agnum Paſchalem aliquoties celebravit, cujus tamen ultima celebritas ab Evangeliſtis, ſubductis circumſtantiarum omnium rationibus, tantum deſcribitur, eo quod ſingularia quædam & minus alias uſitata in ea ſeſe ejicerent. Hujusmodi quippe emergentibus circa actum alias ſæpiſſime frequentatum & ſilentio ipſis præteritum Evangeliſtis ſolemne ducitur actum alias uſitatum & ſilentio proinde preſſum non modo referre, ſed ſingularia quoq; quædam cum occaſione nata fideliter deſcribere. Hinc, inquam, palam & manifeſtum eſt, Chriſtum in cœna Paſchali calicem quoque uſurpaſſe.

Jam commode quæritur: num quatuor illa pocula, an potiora, Paſcha celebrans ſua fecerit? Equidem! de hoc altum apud Evangeliſtas eſt ſilentium. Etenim, mandatum diſcipulis de Paſchatis præparatione inſinuans, Patrifamilias duntaxat hæc dicenda præcipit: Ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστι.

Πρός

Πρὸς σε ποιῶ τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν. *Tempus meum prope eſt, apud te faciam Paſcha cum diſcipulis meis.* De loco reſponſurum eſſe Patremfamilias Servator ad hoc prædicit, ſed, de poculorum alioque adparatu ne verbum commutaturum meminit. Incertum igitur valde quidquam certi de hoc ſtatuere.

Interim ſunt, qui Chriſtum quatuor hiſce modo recenſitis calicibus uſum eſſe, eorumdemque unum longe ſanctiori uſui deſtinaſſe, adſerant, de quo deinceps pluribus. Eo inclinant viri omni eruditionis laude florentiſſimi, Johannes Ligthfootus in *Horis Ebraico-Thalmudicis in Mattbæum Cap. XXVI.* Johannes Buxtorffius in *Exercit. VI. de Cœna Domini §. LXX. & ſeqq.* Parens in Lexico Thalmudico radice הלל Johannes Camero in *Myrothecio Evangelico in Matthæum Cap. XXVI.* Balduinus Walæus in *Commentario Perpetuo ad Evang. in Matth. XXVI.* aliique Lutheri ſequaces eorum ſputum lambunt.

Verumenimvero, ſi quod res eſt, fateri equidem! fas fuerit, viri illi doctrina excellentiſſimi θέσει δουλεύουσι potius, quam ut in id, quod verum eſt, penitius agant. Etenim, Evangeliſtas conſulentibus non equidem! occurrit niſi unum poculum. *Matth. XXVI. 27.* Καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον, & *accepto poculo*, Ecce! ποτήριον non ποτήρια.

Dixeris

Dixeris: hoc poculum e quatuor illis jam tum in hunc uſum fuiſſe electum & a reliquis ad uſum ſacramentalem ſanctiorem ſeparatum, adeoque in ſingulari adhiberi τὸ ποτήριον, cum a Matthæo, tum a reliquis Evangeliſtis, ſecus vero ποτήρια.

Cæterum, Lucas *Cap.* XXII. convivium Paſchale inter reliquos omnes fideliſſime enarrans, poculi *unius* Paſchalis tantum meminit §. XVII. inquiens: Καὶ δεξάμενος ποτήριον, εὐχαριστήσας εἶπε. Λάβετε τοῦτο, καὶ διαμερίσατε ἑαυτοῖς. *Et accepto poculo, quum gratias egiſſet, dixit: Accipite hoc & dividite inter vos ipſos.*

Hæc verba de Paſchali poculo eſſe intelligenda, omni plane dubio carere dixeris. Id quod ex §. XV. conſtat, cum quo §. XVI. indiſſolubili nexu cohæret. Etenim, §. XV. de agni Paſchalis eſu diſſeritur, de quo deſiderii ſui magnitudinem & prolixum ſuum in eum adfectum Dominus interpretatur §. XVI. Et ſicut de agno Paſchali in citatis inciſis; ſic §. XVII. ſerio facili & ſvavi de potu & poculo Paſchali diſſerere incipit. Hoc Evangeliſta patefacit verbis: Καὶ δεξάμενος ποτήριον, puta, Paſchale, nam de hoc, ceu in confeſſo eſt, inciſum illud loquitur, quod Chriſtus, ceu Paterfamilias accepit, accepto benedixit, benedictum diſcipulis exhibuit.

Sed, dixeris; §. XX. Lucam alterius

poculi ſimul mentionem facere, dicendo: Ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον. *Similiter & calicem.* Non ergo unum, ſed duo pocula a Chriſto videntur in cœna Paſchali adhibita.

Sic quidem ſtatuunt, quibus theſis illa de Paſchate ad eumdem modum, quo Judæi illud celebrarunt, a Chriſto etiam peracto ad palatum eſt. Qui etiam diſtinctius de iis diſſerunt, ſic tamen, ut inter ipſos, prout fert conſvetudo, non omnino conveniat. Joh. Buxtorffius parens, in *Lexico Thalmudico-Rabbinico Radice* הלל calicem ultimum & quartum, de quo ſupra dixi, adhibitum eſſe, ſtatuit. Clariſſimus Buxtorffius cum Salmaſio unam inflat tibiam, & Salmaſius cum Buxtorffio, prout videre eſt apud Balduinum Walæum, *Comment. perpet. in Lucam pag.* DCCLXII.

Johannes vero Ligthfootus in *Horis Ebraico-Thalmudicis in Matthæum Cap.* XXVI. tertium calicem in eum uſum a Domino acceptum eſſe, arbitratur. *Poculum*, inquit, *certe invenimus idem fuiſſe cum poculo benedictionis, quum ſcilicet pro more, poſt guſtatum fruſtulum agni valedictorium, finis jam eſſet cœnæ, & ſuper poculum tertium gratiæ agendæ eſſent poſt cibum accepit ille illud poculum, & poſt actas ut probabile eſt, & pro more & pro officio gratias pro cibo, inſtituit ille iſtud in poculum eucbariſticum.* Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν. 1. *Cor.* X. 16. Hujus ſputum alii deinceps certatim linxere. Ve-

Verumenimvero, hi in Thalmudicorum monumenta juſto propenſiores, amore ſic ſatis nimio in Iudaicorum rituum adparatus abrepto ad eam opinionem prolapſi ſunt. Perſuaſum quippe ipſis eſt, optumum mundi redemtorem omnino ex ritibus Iudaicis pependiſſe in ſanctiſſimo agni Paſchalis epulo. Id quod R. Leon de Modene in *Supplem. aux Ceremonies des Juifs Chapit. IX.* diſerte fatetur atque tradit, inquiens: *Quoy qu'il en ſoit de ces divers uſages qui ſont aujourd'huy parmy les Juifs, il y a de l'apparence que noſtre Seigneur a ſuivi ce qui ſe pratiquoit en ce temps là.*

Cæterum, eum in modum ſentientes ab ecclipticа veri paullo longius abire, & falſæ hypotheſi inniti videntur. Etenim principio liquet, prout ſupra vidimus, diſtincta illa pocula quatuor nullo modo divina auctoritate niti, ſed eſſe inventum, ceu dictum meminimus, plane RABBINICUM. Deinde, Christum ex ejuſcemodi παραδόσεις non ſolum non pendere voluiſſe, ſed iisdem etiam contradicendo etiam atque etiam iviſſe contra. Hoc ipſum hiſtoria Evangelica non unis in locis præclare teſtatur. Porro, dubium eſſe poſſit, an illud quatuor Calicum inſtitutum in cœna Paſchali, tempore Chriſti, jam tum obtinuerit? Denique longe probabilius videtur, Chriſtum Paſcha celebrando di-

vini mandati potius, quam Rabbinorum inventi rationem habuiſſe. Hac adductus cauſſa eo die, quo lege divina feſtum Paſchatos חג פסח ſancitum erat, celebrabat, non ea luce, qua Judæi. Hi quippe limites hujus diei, feſto Paſchatis ſacro per traditionem Patrum exorbitare, nulli verebantur. Chriſtus vero præciſe diem a DEO præſcriptum in celebrando Paſchate obſervabat. Vide Scaligerum de *Emendat. tempor. libr.* II. & VII. Iſaacum Caſaubonum *Exercit.* XVI. *contra Baronium.* Eduardum noſtrum Liveleum in *Opere Chronologico.* Scilicet, religio erat optumo Servatori verpis iſtis morem gerere, eorumdemque ritus promiſcue amplecti.

Aliter tamen excellentiſſimus Jacobus Lydius in *Analectis in Paſſionem Domini pag XLII. & ſeqq.*

Jam vero vetuſtiores Judæos ex inſtituto divino plures calices in uſu & eſu agni Paſchalis Moſis ætate uſurpaſſe, non adparet. Quum enim unus ſufficere poſſet, non eſt dubium, quin eo quoque contenti fuerint, in primis quod temperantiæ & frugalitatis perquam ſtudioſiſſimi eſſent. Hoc inſtitutum Chriſtum, optumum mundi Redemtorem eſſe ſequutum, vel ex eo, ceu diximus, augurari licebit, quod unius duntaxat ποτηρίου ab Evangeliſtis mentio fiat.

Quod autem viri illi eruditi putent, Lucam duos calices referre, in eo equidem & fallunt & falluntur. R. Leon de Modene dl. idem cum illis ſentire intelligo. Verba

ba R. ſunt hæc *pag.* LXIII. *Saint Luc qui rapporte cette Hiſtoire avec plus d'exactitude que les deux autres Evangeliſtes ſaint Matthieu & ſaint Marc, fait mention de deux coupes, ſur lesquelles noſtre Signeur prononca la benediction.*

Nec diſſimulare oportet, dari vetuſtiores Scriptores ſacros, qui idem profiteri nulli equidem! dubitarunt. Beatus Fulgentius ad Ferrandum Diaconum de *Quinque Quæſtionibus Tom. IX. Bibliothecæ Patr. fol. CXCIII.* refert, ejus opinionis Ferrandum fuiſſe, qui proinde ex Fulgentio quærit. Cum quo facit Paſchaſius Ratbertus *libr.* XII. *in Matthæum Tom.* XIV. *Bibliothecæ Patr. fol.* DCLXIX. *Lucas duos calices datos eſſe diſcipulis in eadem cœna commemorat, unum prius poſt agni comeſtionem antequam panem acciperet, alium vero poſtquam benedixit ipſum panem ac fregit ac dedit diſcipulis ſuis.* Et paucis interjectis: *Ideo aliquos monet, utrumne duos calices Lucas voluerit ſignificare Jeſum accepiſſe, an unum eumdemque, quia anticipaverat de eo dicere, rurſus recapitulando bis eum commemorat; ita quidem nonnulli ſentiunt, non duos eſſe calices, ſed unum, qui & ante dividendus & poſtea bibendus commemoratur datus eſſe diſcipulis. Sed, alii,* pergunt, *melius ut præmiſi, duos porrectos adſirmant diſcipulis: ut in uno eorum, id eſt primo, paſſionem ſuam voluerit exprimere, in alio vero fidelium ſuorum paſſionem præfigurare.*

Quæ etiam reſpicit S. Hieronym. in *Cap.* XXVI. *Matthæi Tom.* IX. *fol.* LXIV.

Verumenimvero, unus idemque *Calix* duntaxat eſt, *Luc.* XXII. §. XVII. & XX. quamvis *Calix* ille unus duobus diſtinctis actibus inſervierit. Scilicet, §. XVII. inſerviebat potui Paſchali veteris federis §. XX. potui Sacramentali & euchariſtico novi pacti. § XVII. dicitur ποτήριον, ſine articulo, ad ſignificandum commune & vulgare poculum fuiſſe ad potum aptum natum, quale Paterfamilias in triclinio collocarat §. XX. vero vocatur τὸ ποτήριον, cum articulo. Vbi τὸ nullo modo otioſum vel ſuperfluum dixeris. Habet quippe hoc in loco vim demonſtrativam vel relativam, prout ex multis Scripturæ S. locis probatu eſt quam facillimum, notatumque Glaſſio *libr.* III. *Gramm. Sacræ libr.* III. *Tr.* II. *Canon.* I. Senſus eſt: Τὸ ποτήριον, *poculum illud*, ex quo ipſe, Chriſtus, & diſcipuli biberant, Evangeliſtis fatentibus, vinum Paſchale, denuo accipiebat, vinoque infuſo, de novo gratias agebat &c. Adeoque inſinuatur Evangeliſtæ poculi prioris uſus ad quidquam majus & ſanctius priori translatus.

Scilicet, poſteaquam calix ille ſuo munere in uſu agni Paſchalis defunctus eſſet, & omnes ex eo bibiſſent, eumdemque evacuaſſent, prout conſvetudo ejus actus ferebat, & jam Paſchalis cœna peracta eſſet, quod Lucas inſinuat verbis: Μετὰ τὸ

δειπνῆσαι

δειπνῆσαι, a cœna vacuefactum illud in Paſchale poculum denuo implebat &c. & ſic ad uſum omnium ſanctiſſimum illud pro ſuo beneplacito ſancto, elevabat. Geminum igitur munus idem numero poculum tunc temporis ſuſtinuiſſe, certum eſt.

Hinc Fulgentio Ferrando dl. reſpondenti ut geminum poculum Evangeliſtæ adſerat, Guido de Perpiniano in *Quatuor-uno ad Cap.* XXII. *Lucæ*, contradicit, inquiens: Dividite inter vos. *Vbi adverte convivium humilitatis, quia omnes in eadem menſa, eodem cibo, eodem uno & calice cum Magiſtro Domino participant. Eſtque convivium caritatis, quia dans eis ait:* Dividite inter vos. *Eſtque convivium ſobrietatis, quia in menſura unius* calicis *vinum omnes bibunt, non ad adfluentiam & effuſionem* ebrietatis, *ſed cum parſimonia unius vaſculi inter tot dividitur, ut modicum quisque recipiat ad menſuram ſobrietatis.* Sic Perpiniano e re ac vero.

Et ſane! ſi Chriſtus ſtricte conſvetudini Judæorum inhærere voluiſſet, quatuor in noviſſima illa cœna pocula uſurpando, non ipſi integrum amplius fuiſſet denuo diſcipulis ſuis vinum ebibendum porrigere. Id enim mori Judæorum recepto tam adverſum erat, quam quod maxume, prout ex R. Mordechai & R. Maimonide *dl.* liquidiſſime conſtat. Sed plane contrarium ex Hiſtoria ſacra elucet. Nec

Docet etiam Joſeſus Scaliger *lib.* VI. *de Emendat. tempor.*

Nec porro ex adpellatione Pauli τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας dicentis inferre licet, *tertium* fuiſſe poculum, ceu ſupra vidimus, ſic dictum. Etenim, hæc cauſſa non eſt adpellationis modo commemoratæ, 1. *Cor.* X, 16. ſed, longe alia ſubeſt. Paulus enim in hac adpellatione non Judæum, vel ritum Judaicum, ſed Chriſtum in hoc ſacramento, utpote ejus auctorem, reſpexit. Benedicebat Chriſtus huic poculo euchariſtico quod Evangeliſtæ verbo εὐλογεῖν exprimunt. Hinc Eraſmus Roterodamus in *Notis* 1. *Cor.* X. *Poculum quod cum gratiarum actione ſumimus.* Theodorus Beza: *Quod ſanctificamus ſolemni prece.*

CAPUT V.

De Calicis Euchariſtici primi poſſeſſore & proprietario.

Ex hactenus de CALICE EUCHARISTICO in medium adlatis de ejus origine proxima abunde nobis conſtare arbitror. Ecquis enim non intelligit, Patremfamilias qui optumo Servatori triclinium conceſſit, eidem quoque de poculo euchariſtico providiſſe.

Ecquis vero ille? Alius hunc, alius aliam eſſe arbitratur. Præclare Iſaacus Caſaubonus

Subonus in *Annales Baronii ad Annum XXXIV. num. XXI.* ſcribit: *Hanc quæſtionem eſſe inutilem & inanem, quis non videt? Aut quis poſtulet ſe ſcire, hodie præſertim, poſt tot ſecula quod Spiritus S. ſiluit?*

Præiverat Jeſuita maledicus Johannes Maldonatus *Comment. in Matthæi Cap. XXVI. Quis ille homo fuerit, curioſum eſt quærere, tamen curioſum non eſt propoſitam ab aliis quæſtionem ideo diſputare, ut multorum curioſitati ponatur modus. Multi enim auctores multa de hac re parum firmis conjecturis comprobata tradiderunt.* Vide de hoc Patrefamilias etiã diſputantem Antonium Bynæum *libr.* I. *de Morte Jeſu Chriſti Cap.* VI. §. XII. & ſeq. *pag.* CCCLXXXI.

Patres, more ſuo, non ſecus ac reliqui recentiores Doctores in diverſa eunt. Theophylactus putat, fuiſſe Simonem Leproſum, apud quem ante ſex dies cœnaſſe fertur, & hunc Lazari patrem fuiſſe.

Verumenimvero, repugnat locus, ubi hæc cœna celebrata legitur. Scilicet, Simon ille non Hieroſolymis, ſed Bethaniæ habitabat. Chriſtus autem non Bethaniæ ſed Hieroſolymis paſcha celebravit. Niſi forſan dixeris, Simonem Hieroſolymas adpetente Paſchate ad celebrandam cœnam Paſchalem petiiſſe, ibidemque domum in uſum & eſum hujus agni Paſchalis poſſediſſe.

Nicephorus fabularum ille hamaxarius egregius *libr.* I. *Cap.* XXVIII. inquilinum ædis Johannis Evangeliſtæ Patremfamilias

eſſe putat, a Caipha enim Johannem domum illam emiſſe in monte Sion ſitam, narratur. Proinde dicitur Johannes matrem Jeſu recepiſſe εἰς τὰ ἴδια. *Joh. XIX.* Johannes Gagnejus in *Notis ad Johannem pag. DCLXXXIX.* Εἰς τὰ ἴδια *ſignificare poſſunt in ſuas ædes, & ſecum, ſive in ſuam curam.* Non male. Thomas de Vio Cajetanus *Comment.* in h l. vertit εἰς τὰ ἴδια, *in domum ſuam.*

Alexander Monachus apud Simonem Metaphraſtem die XI. Julii adfirmat, *celebratum eſſe Paſcha ſacrum a Domino in domo alterius Johannis, illius ſcilicet Mariæ filii, qui cognominatus eſt Marcus, cujus meminit Lucas* Act. XII, & Paulus Coloſſ. IV. *Nam, ejus domum Hieroſolymis fuiſſe atque Apoſtolis patuiſſe, ejusdem Lucæ teſtimonio ſatis perſpicuum explanatumque habetur.* Legere eſt apud Cæſarem Baronium *Tom. I. Annal. ann. XXXIV. Num. XXII.*

Baronius vero, ut & alii Romanæ religionis adſeclæ in opinionem & ſententiam de Johanne Evangeliſta deſcendit, Gregorii Nazianzeni auctoritate uſus. Sed, dubitat. Neque id injuria. Nam, primo, auctor Carminis de *Chriſto patiente*, non eſt Gregorius Nazianzenus, ſed eidem ſubpoſitus, prout viris longe doctiſſimis pridem animadverſum meminimus. Deinde, auctor non domus Johannis, ſed Mariæ meminit. In hac tamen non dicit Paſcha eſ-

ſe

ſed celebratum, ſed diſcipulorum chorum congregatum. Nec quæritur de ædibus Johannis; ſed, an in illis Paſcha celebratum fuerit? Habuerit ædes ſuas, non tamen inde continuo inferre licet: E in iis cœna Paſchalis noviſſima celebrata fuit.

Quod autem non fuerit Paterſamilias ille Johannes Evangeliſta, vel inde manifeſtum eſt, quod, Luca teſte, Petrus & Johannes in urbem ire juſſi ſint, paratum Paſcha celebrandum. Johannes autem ad Johannem qui mitti poſſit? non equidem intelligo. Hoc in primis urget Iſaacus Caſaubonus in *Exercit. ad Annales Baronii ad Annum XXXIV. num. XXI.* Quam ſententiam ſuam quoque facit Magenclis in *Antibaronio* & Adamus Conzenius *Comment. in Cap. XXVI. Matthæi ad §. XVIII. Quæſt. I.* *Hoc, de* Johanne Evangeliſta, *mihi idcirco veriſimile non videtur, tum quod ejus rei nemo mentionem faciat Evangeliſtarum, tum quod Johannes ipſe mittatur cum Petro. Reliquerat Johannes omnia, patrem, retia, domum.*

Id certum, quinimo certiſſimum eſt, non eſſe Patremfamilias ſuo nomine a Chriſto Domino nominatum. Dicit quippe eum duntaxat τὸν δεῖνα, *Quemdam.* Ebræi eſſerunt: פלני Syrus vertit ܦܠܢ Gallus: *Un tel.* Noſter: *Man.* Id quod Johannes

Animadvertit S. Hieronym. *Tom. IX. fol. LXIV.* & Gerhardus Johannes Voſſius *libr. I. Harmon. Evang.*

hannes Maldonatus *Comment. in Matthæum Cap. XXVI.* diligenter exponit. Eodem in loco hæc adnectit: *Sive Chriſtus hominem nominaverit, ſive non nominaverit, ſed certis deſignaverit indiciis Evangeliſta nominare noluit, & tamen voluit ſignificare, Chriſtum diſcipulos non in incertum ad quemvis, ſed ad certum quemdam hominem, quem illis deſcripſerat, præmiſiſſe.* Euthymio Zygabeno putatur Pater ille familias unus ex Chriſti diſcipulis, qualis fuit Nicodemus, Joſefus Arimathienſis, &c. in cujus domum homo amphoram portans iturus eſſet, quod indicium erat certiſſimum illarum ædium in quibus Paſcha præparandum, quemadmodum in nativitate præſepe cum puero faſciis involuto. Sebaſtianus Barradas *Tom. IV. Comm. libr. I. Cap. XIV.* ſic ſatis commode ei opinioni accedit. Cornelius Janſenius in *Concordia Evangelica Cap. CXXIX.* Gerhardus Johannes Voſſius *libr. I. Harm. Evang. Cap. XII.* Cui vel inde quidquam roboris accedit, quod diſcipuli eidem nuncient: Ὁ διδάσκαλος λέγει. *Magiſter dicit.* Bene! Maldonatus in hæc verba commentatus eſt in *Comm. Cap. XXVI. Quum magiſtrum ſe adpellari vult, diſcipulum eſſe indicat.* Citra hunc reſpectum uſurpatur formula: Ὁ Κύριος λέγει. *Dominus dicit.*

Diligentius vero perſequutus eſt hanc telam Antonius Bynæus *libr. I. de Morte Chriſti Cap. VI. pag.* CCCCLXXIII ubi δεῖνα derivat a Chaldaico הדין pro Ebræo הזה Confer Cameronem ad *Matthæi* XXVI. 18.

Silentii vero nominis Patrisfamilias cauſſas ab interpretibus non unas adlatas depre-

deprehendimus. Euthymius non nominatum putat, ne Judas, locum celebrandi Paſchatos reſciſceret, adeoque inſidias ei domui ſtrueret. Quo Cornelius Janſenius reſpicit in *Concordia Evangelica Cap. CXXIX.* S. Chryſoſtomus *Homil. LXXXII.* ideo factum eſſe putat, quod *ignotus eſſet.* Sed, circumſtantiis omnibus ſubductis, contrarium ſeſe omnino ejicit. S. Ambroſius in *Cap. XXII. Lucæ* propter *paupertatem* & *nobilitatem* illud factum pronunciat. Verum, ea nulla eſt. Quod ſi enim pauperis Lazari nomen exprimit, quare non hujus? Nec ſane! pauper eſt, qui domum longe inſtructiſſimam poſſidet. De qua ex *cœnaculo illo magno* Servatori conceſſo facile judicium fieri poteſt. Vide Sebaſtianum Barradium *Tom. IV. Concordiæ.* Hic quoque ex catino, quo uſus ſit Chriſtus, pari modo teſtimonium petit. *Ditiſſimum*, ait, *fuiſſe probat catinus ille, in quo agnus Paſchalis menſæ illatus dicitur. Eſt enim ex Smaragdo confectus & propter margaritæ magnitudinem admirabilis oſtenditurque Genevæ.* Eadem habet Franciſcus Quareſmius in *Elucidario terræ S. Tom.* II. *libr.* IV. *Cap.* I.

Cæterum, in eo nunc non ero, ut hunc catinum ad lydium lapidem examinem, probusne an ſuppoſititius ſit? Quamvis de poſteriori non levis ſuſpicio in promtu jacet.

Vide Johannem Ludovicum Wolzogenium *Comm. in Johan.* in *Bibliotheca Fratrũ Polon. fol.* CCCCVI. Johannem Gerhardum Voſſium *libr.* I. *Harm. Cap.* XII. *pag.* XCII.

jacet. Ἀνώγεων μέγα ἐστρωμένον omnium optume certiſſimeque perſuadet. Guilielmus Stuckius *libr.* II. *Antiq. Conviv.* *Cap.* XIV. de eo ſic ſcribit : *Dicitur* ἀνώγεων proprie locus in ædibus ſuperior, ἀπὸ τοῦ ἄνω καὶ γαῖα *in quo olim cœnitare conſueverunt & iccirco Syriaca verſio pro ea habet* עליתה Aalita, *id eſt ſuperior pars domus, ad quam erat adſcendendum.* Sic Stuckius.

Suidas in *Lexico* Ἀνώγεων exponit ὑπερῷον. Euſtathius in *Odyſſ.* A. ὑπερῷον dicitur τὸ ὑποκείμενον οἴκημα. Nam, ὦα dicuntur τὰ οἰκήματα. Et denuo *Iliad.* B. ὑπερῷον erat δίστεγον. Dixi alibi, dici ὑπερῷα *a loco ſuperiori domus, ubi* ὦα *ſive ova ſua deponere ſolent columbæ*, accerſita Athenæi auctoritate. Hujusmodi erant plures in templo Hieroſolymitano, quemadmodum adnotat κεμηλιώτατος Ludovicus de Dieu in *Cap.* I. *Actor.*

Præclare de iis Johannes Pearſoni in *Lectionibus in Acta Num.* VII. Carol' Maria du Veil in *Acta Apoſtolorum explicata*

Hujuscemodi vero ἀνώγεα non erant pauperum habitacula, ſed, divitum & primariorum virorum. Id quod eruditi Scripturæ S. interpretes fateri habent. Cornelius a Lapide in *Comment. Matth.* XXVI. Cornelius Janſenius in *Concordia Evangelica Cap.* CXXIX. cujus verba heic merentur locum. *Non ſolum,* inquit Paterfamilias, *diverſorium*

Cap. I. *pag.* XVI. Campegius Vitringa *Cap.* X. *Obſerv. Sacr. pag.* CXCIX. & CC. Johannes Seldenus *libr.* III. *de Synedriis Cap.* XV. *num.* II. Conferatur etiam Johannes Ciampinus de *Muſivis Cap* XVII. Iohannes Pricæus ad *Lucæ* XXII. 12 Antonius Bynæus *l.* I. de *Morte Chriſti Cap.* VI. *p.* CCÇCXCIIX.

diverſorium exhibet , quemadmodum rogabatur, ſed cœnaculum in ſuperiori parte ædium, ubi haberi ſolebant cœnacula inſigniora. Tale enim cœnaculum ſignificat dictio Græca ἀνώγεων, ſic dictum quod ſubductum eſſet a ſolo. Nec qualecunque exhibet cœnaculum, ſed grande, & præterea paratum ac ſtratum magnifice , nimirum tapetis & lectis in quibus antiquitus diſcumbebatur. Conferatur etiam Johannes Maldonatus *Comm. in Matthæum XXVI.*

Chriſtianus Adrichomius in *Deſcript. terræ S.* & in ſpecie Hieroſolymæ, in editiori loco hoc cœnaculum fuiſſe adſerit. Hunc montem Sion denominat. Iccirco dictum quoque fuit *Cœnaculum Sion.* Verba ejus ſunt hæc : *Cœnaculum Sion ſitum circa medium montis Sion. Magnum ſtratum & ornatum erat , in quo Chriſtus in ultima cœna agnum Paſchalem cum Apoſtolis comedit , eorum pedes lavit, & menſæ accumbens ſub panis vinique ſpeciebus corporis & ſangvinis ſui ſacramentum inſtituit. Inibi die reſurrectionis, januis clauſis ingreſſus, ſtans in medio diſcipulorum eis ſui lateris , manuum & pedum vulnera conſpicienda præbuit & coram illis comedit , deinde inflando dedit eis Spiritum S. ſimul & poteſtatem remittendi & retinendi quorumcunque peccata.* De quo tamen in præſentia judicium noſtrum ſuſpendere malumus , quam illud rigidiori examine experiri. Confer Franciſcum Quareſmium in *Elucidatione terræ S. libr.* IV.

Origenes in Jeremiam *Homilia* XVIII. & *Homil.* XIII. *in Johannem* & XXXI. Vide Huetium in *Obſerv. pag.* CXXIV.

Tom,

Tom. II. *Cap.* IV. ubi gemina de eo cœnaculo in medium adtulit.

Hic igitur Paterfamilias, quisquis tamdem ille fuerit, in hoc ſuo cœnaculo hoc poculum in uſum ſacroſanctæ euchariſtiæ adſumtum Servatori ejusdemque diſcipulis adpoſuit POCULUM, inquam, nam hoc unum inter duodecim illos convivas ſatis eſſe poterat, præſertim ſi paulo capacius & amplius eſſet. Nam, nec LXX. diſcipuli, nec alii Chriſto alias addicti, vel viri, vel, mulieres huic ſacroſancto euchariſtiæ actui interſuere. De Maria quidem, Domini matre ſanctiſſima Marcus Vigerius Cardinalis in *Decachordo ChriſtianoChorda XXVI.* Didacus de Vega *Conc.* I. *Feriæ* VI. *Hebd. Sanctæ.* Simeon Metaphraſtes in *Orat. de Vita Deiparæ apud Surium* XV. *Auguſti* Johannes Baptiſta Caſalius in *de Veter. Sacr. Chriſt. Ritib. Cap.* IIX. Confer Walterium Veringum de *Triplici cœna libr.* III. *Cap.* XI. perſuadere volunt. Verum, alii, & quidem rectiſſime, contradicunt. In his eſt Chriſtianus Adrichomius in *Deſcript. Terræ S. fol.* LXIV. b.

Quale vero & quodnam illud poculum fuerit, nullus Evangeliſtarum deſcribit. Quilibet illud vocat ποτήριον. Cæſar tamen Baronius in *Annalibus ad annum Chriſti XXXIV. num. LXIII.* auctoritate Orige-

nis

Eraſm⁹ Schmidius *Notis in Marcum fol.* CCCCLXIV. refert eſſe qui ſtatuant, *hoſpitem ſimul ediſſe*, adeoq; eumdem includi verbo πάντες. Nec ipſe improbabile putat. Viderit.

nis fretus calicem illum in hunc modum deſcribit: *Non prætérimus tamen dicere, quod calix ille, in quo Redemtor noſter Jeſus Chriſtus ſacratiſſimam euchariſtiam conſecravit, ut egregium tantæ rei monumentum a communi uſu ſelectus ac ſumma induſtria adſervatur adhuc Bedæ temporibus Hieroſolymis viſebatur, de quo hæc ipſe libro de Locis S. Cap. II. In platea quæ martyrium & Golgatha continuat, exhedra eſt, in qua Calix Domini ſcriniolo reconditus per operculi foramen tangi ſolet & oſculari: qui argenteus calix hinc inde habens duas anſulas, ſextarii Gallici menſuram capit.* Hæc Baronius & Beda de hoc calice euchariſtico memoriæ prodiderunt. Franciſcus Quareſmius in *Elucidatione terræ S. libr. III. Cap. XLIII.* idem narrat, referens *Valentiæ in Cathedrali* eumdem adſervari.

Equidem! libentiſſime Bedæ narrationi punctum ferremus, ſed, non una obſtant, quæ ab adſenſu nos retrahere poſſunt. Etenim, non ſolum Beda recentior eſt, verum etiam fidei minus probatæ. Nam, quod librum ejus de *Locis Sanctis*, ex quo hoc teſtimonium decerptum eſt, adtinet, omnibus illis, quibus pituita minus moleſta eſt, conſtat, multa futilia & inutilia in eo libro tradita proponi. Erat enim Beda piæ ſimplicitatis & pietatis ſimplicis. Id quod pridem viri & eruditi & ſubacti ingenii animadverterunt, Iſaacus Caſau-

bonus *Exercit. II. in Baron. Ann. I. num. IV.* Fabulas quippe & hiſtorias juxta æſtimat. Quamobrem promiſcue omnia libro illi ſuo de *Locis S.* infarcit.

Hunc Baronius, Quareſmius & reliqui Pontificiorum plures, inter quos etiam Cardinalis Johannes Bona eſt, de *Rebus Liturgicis libr. I. Cap. XXIV.* ſublato judicio omni, ſequuntur. Quid igitur mirum, ſi miſceant quadrata rotundis? Et ſane! ſi Bedæ ſeculi memoriam inierimus, magnam & amplam fabularum meſſem metere habebimus, in quorum numero relatio illa de calice Chriſti euchariſtico collocari meretur.

Certe! ne Apoſtoli quidem, nec viri Apoſtolici tanta cura eum calicem vel inſpexere, vel deſcripſere, ac Bedæ quidem induſtriæ placuit. Hiſce enim ad unum omnibus ſufficit poculum dicere ποτήριον, ſpretis contemtisq; reliquis ejus adjunctis.

Nec puto, Chriſtum hoc poculum ſecum portaſſe, vel ejusdem poſſeſſorem fuiſſe; ſed, qui conceſſit cœnaculum & triclinium, adparavit quoque reliquum menſæ adparatum. Id enim hoſpitandi ratio omnino exigit, ceu, vel nobis tacentibus, conſtat, & ex ſacris & profanis omnino liquet. Et quemadmodum Patrifamilias, ut viri boni & honeſti triclinium cum omni ſua ſupellectili & adparatu a

cœna

cœna tradidere & reliquere, ſic eidem peracta cœna quin poculum tradiderint, nullum amplius eſt dubium. Nec etiam dicitur Paterfamilias poculum iſtud largitus ampliſſimo ſuo hoſpiti. Nec vendidit ipſi, nec Chriſtus, vel diſcipulus ullus dicitur emiſſe. Nemo eorum quoque furatus eſt. Dominus quoque eo amplius non indigebat; adeoque imminente paſſionis hora, non fuit de eo ulterius ſollicitus, ſed eo relicto, hortum continuo adiit. Quod ſi apud Patremfamilias Hieroſolymis manſit, nec ipſe ſanctius illud putaverit, quum quid de eo factum fuerit, eum forſan fugerit, quum menſæ eidem non interfuerit. Nec templo legavit, vel alii loco ſacro, ſed, forſan ſecum retinuit, &, ſi non prius, certe! in excidio Hieroſolymitano, quod tot theſauros & vaſcula ſacra abſumſit, hoc poculum quoque perdidiſſe, vero quam maxume conſentaneum eſſe videtur. Nullus quippe Patrum priorum ſeculorum, qui tamen de eo omnium optume teſtari potuiſſet, vel verbulum commutare voluit. Secus autem ſine omni dubio feciſſent, ſi quid de eo calice Chriſto in ultima cœna uſurpato ipſis conſtitiſſet. Pia fraus, ut ἀκμὴν ſuam ſenſim atque ſen-

Liber de *Spoliis*, ex- *ſuviis & reliquiis Sanctorum, anno* MDXXV. editus apud Ioh. Wolfium in *Lect. Memorabil. Cent.*XVI. *fol.*CCXXXII. Martinus Chemnitius in *Examine Concilii Tridentini Parte* IV. Ioh. Henricus Heideggerus de *Religioſis Peregr. pag.* LXXIV.

ſim attingeret, reliqua ſupellex magna copia ſupponi cœpit. Faciebat enim ſuo modo ad augendam religionem, ne dicam ſuperſtitionem. Quamobrem auctorum teſtimoniis ſequiorum ætatum non ſine cauſſa adponere liceat: FIDES ESTO PENES AVCTOREM.

Quidquid tamdem hujus ſit, hic CALIX CHRISTI aliorum CALICUM euchariſticorum fecundiſſima quaſi parens habeatur oportet. Etenim, ſi hic, quem modo prævio Evangeliſtæ ductu deſcripſimus, a Chriſto inſtitutus non fuiſſet, reliqui equidem! CALICES non eſſent. Tota enim Sacramenti actio ab inſtitutione Chriſti dependet, nec ullius vel Angeli, vel hominis eſt Sacramenta inſtituere. Quamdoquidem vero optumus Servator illum CALICEM inſtituit, & reliqui CALICES euchariſtici ſunt in eccleſia Chriſtiana.

Hinc priſci eccleſiæ primitivæ Doctores eum diem, quo CALIX a Chriſto inſtitutus eſt Hieroſolymis in cœnaculo illo magno, puta feriam hebdomadis magnæ quinctam, NATALEM CALICIS dixerunt: quod eo die CALIX euchariſticus quaſi natus & a Chriſto fidelibus ſuis inſtitutus ſit.

Præclare in eum ſenſum Eligius Novionis in Belgio, Epiſcopus, qui ante mille annos vixerit. Hic *Homilia X.* in *diem Viridi-*

um

um ſic ſcribit: *Vocatur hæc dies* Cœna Domini, *vocatur & Natalis Calicis. Et merito talibus præfulget vocabulis, quia hac eadem die myſticum Paſcha Dominus cum diſcipulis celebrans, Sacramenta corporis & ſangvinis ſui illis atque per illos nobis tradidit, & ipſe celebrationis initium fecit.*

Scilicet, non inſolens nec infrequens Scriptoribus eccleſiaſticis eſſe ſolet, τὸ NASCI & NATALIS in ſenſu improprio inanimatis & aliis tribuere. Id quod multis demonſtrari poſſet, modo id ageretur. Sufficiat modo cauſſam hujus adpellationis paucis tangere, quæ hæc: Quemadmodum in nativitate & per eam id fit, quod nondum fuit; ſic hac die viridium CALIX id factus eſt, quod non fuit, nimirum, CALIX EUCHARISTICUS, & CALIX MYSTICUS, CALIX VITÆ &c. quemadmodum ſupra dictum meminimus.

Eodem nomine dies ille compellatur a Paſchaſio, Abbate Corbejenſi, in præclaro libello de *Corpore & Sanguine Domini.* Verba ejus ſunt hæc: *Hoc judicium in NATALI CALICIS mox excipitur, ut doceatur, quid conteratoribus immineat, ſi damnati a conſcientia pedem de menſa Domini non retraxerint.* In vita S. Silveſtri PP. eodem nomine dies ille celebratur. *Natalem Calicis ſimiliter, ut diem Dominicum habere debemus, in quo Sacrificium Dominici Corporis & Divini Sangvinis ab*

In *libro meo de Hebdomade magna III.* pluribus ex antiquitate de hoc die agere juvit. Hildebrand° de *Sacris Chriſtian.* de *Quadrageſima.* Et *Veterum Natalitiis Cap. XIII.*

ipſo Domino celebrationis ſumſit initium. Petrus Bleſenſis in *Tractatu de S. Euchariſtia Cap. XIII.*

Hoc in Natali Calicis non eſt celebratum,
Quando Paſcha novum vetus eſt poſt Paſcha dicatum.

Quemadmodum igitur apud veteres in profanis natales plurimi dantur, ſic in ſacris quoque. Huc pertinet *Natalis martyrum* apud Paulinum in *Natali S. Felicis* VI. & IIX. Tertullianum de *Corona Militis.* Sic occurrit mentio *Natalis Cathedræ* apud Vſuardum in *Menologio ad VI. Jan.* S. Auguſtinum *Serm.* XV. *de Sanctis.* Sic reperitur *Cathedra Baſilii, Chryſoſtomi*, & aliorum plurium. Confer Turnebum *libr.* XXIII. *adverſ.Cap.*IV. Martinum de Rhoa, Hiſpanum, de *Die Natali Sacro & Profano Cap.* XXII. Sic, *Natalis templi & Baſilicæ*, item *Natalis Crucis*, vel, *Victoriæ.*

In profanis ſe quoque obferunt varia *Natalium genera.* Sic datur *Natalis urbis* in *Oratione Cicer. pro Flacco & libr.* II. *de Divinat.* Confer Ouzelium *ad Minucii Felicis Octav. pag. LX. Natalis reditus* Sveton. in *Octavio Cap. LIX. Natalis Statuæ* apud Blondum *libr. II. de Roma & Natalis imperii* apud Capitolinum in *Pertinace* & Eumenium *Paneg. IX. Natalis adoptionis*, teſte Spartiano in *Adriano.* Alios natales plures ſilentio in præſentia prætereo.

Ad

Ad eamdem formam & cuſa & fuſa eſt adpellatio *Natalis Calicis*, quo nomine *dies Viridium* dictus eſt, quo Chriſtus *calicem*, de quo nobis ſermo cæditur, euchariſticum inſtituit. Adeoque *Calix* ille Servatoris hunc *Calicem* pie enixus eſt. Et hanc ob cauſſam dies ille non ſine verbi venuſtate rectiſſime audit: NATALIS CALICIS.

CAPUT VI.

De
Calicum Euchariſticorum Materia.

NOn ſufficit vero poculorum originem euchariſticorum indagare, eorumdemque auctorem ſpectare; ſed, neceſſe eſt CALICES illos EUCHARISTICOS propius etiam contemplari. Duo vero quum ſint, quæ in primis circa hoc de CALICIBUS EUCHARISTICIS argumentum ſub diſpectum vocari poſſint, MATERIA & FORMA, de utroque ſollicitum eſſe, ordinis ratio exigit.

Et MATERIAM quidem quod adtinet, de ea nunc quidem quærere, ab inſtituto noſtro nullo modo alienius putandum fuerit. Non una autem ea ſeſe in hiſtoria offert, ſed multiplex talis eſt, prout propediem ex hoc noſtro diſcurſu luculentiſſime patebit.

Quod ſi primi illius CALICIS EUCHARISTICI reliqui imitatores eſſent ac æmuli, de argento ſuſpicio haut levis nobis ſuboriretur, in primis, ſi ille, quem produximus CALIX, genuinus eſſet. Etenim, de eo Beda & ex eo Cæſar Baronius & reliqui Pontificii referunt, *argenteum* fuiſſe. Verba ipſorum jam tum ſupra citata teſtes erunt.

Verumenimvero, quamvis de eo nihil certi adfirmare poſſimus, quum ſit quæſtio facti, quæ ex judicio ſenſuum dijudicanda eſt: non tamen continuo negare poſſum⁹, argenteum fuiſſe, ſed, quidquid tamdem hujus fuerit, in medio relinquendum erit. Nullus quippe Evangeliſtarum CALICIS hujus materiam vel nominat, vel deſcribit: ſed, ſatis eſſe putat narrare, ποτήριον fuiſſe.

Qui LIGNEUM fuiſſe putant, æque incertum quid tradunt ac illi, qui ARGENTEUM fuiſſe, pronunciant. Quidquid enim de paupertate Chriſti prætenditur, nondum triclinio Paſchali argenteum Calicem detrahere poteſt. Sit enim, quod Servator per paupertatis moleſtiam CALICEM ARGENTEUM non poſſederit, mutuo tamen illum ab eo, a quo domum, triclinium, mappam, pelvim, aquam & reliquam ſupellectilem Paſchalem accepit, habere potuit, & ſine dubio habuit.

Fuiſſe

Fuiſſe autem illum, cujus Beda & Baronius meminere, ego nullo modo adſerere audeo. Inferius de eo forſan diſſerendi occaſio dabitur. In præſentia duntaxat commemorare liceat, Baronio alias addictos in hoc & Bedam & Baronium deſerere. In his nomen ſuum profitetur Bartholomæus Gavantus *Comment. in Rubric. Miſſ. Part. II. Tit. I. Vereor*, inquit, *ne calix hic argenteus, in quo, ut narrat idem Beda, ſervatur ſpongia potus aceti miniſtra, & habet duas anſas hinc inde, adhibitus fuerit potius ad potandum Chriſtum felle & aceto, quam ad ultimam cœnam.* Quis ſibi perſuaderet Baronio addictum & fidei ſocium tanta acerbitate uſurum eſſe? Sed, en! Cadmæos fratres.

Qui rem penitius & triclinium Chriſti curatius inſpexiſſe videri geſtiunt, Servatorem LIGNEO CALICE cum Apoſtolis uſum fuiſſe, adfirmant. Scilicet, hi ſibi perſuaſum eunt, hanc *Calicis* materiam optumi Servatoris humilitati, toties aliis commendatæ, quam optume reſpondere. Honorius Auguſtodunenſis in *Gemma animæ de antiquo Ritu Miſſarum libr. I. Cap. LXXXIX.* de eo ſic commentatus eſt: *Apoſtoli & eorum ſucceſſores in quotidianis veſtibus & ligneis calicibus miſſas celebrarunt.*

Ecce! LIGNEOS CALICES Apoſtolis vendicat, quibus in uſu miſſæ, quæ euchariſtia dicitur, uſi ſunt. Vnde vero hi LI-

GNEI CALICES, niſi ab eo, quem Chriſtus uſurpaverit? Hujus indolem & naturam miniſtri dubio procul exprimere voluerunt. Niſi forſan dixeris: Chriſto calice argenteo uſo Apoſtolos ſeſe æquiparare, religioni duxiſſe.

In Concilio Triburienſi ſub Formoſo *Cap. XVIII.* celebre aliquot apophthegma Bonifacii, Epiſcopi Moguntini, natum eſſe, Canones referunt, ut & Walafridus Strabo *libr. de Reb. Eccleſ. Cap. XXIV.* Rudolfus Tungrenſis de *Canonum Obſervantia Prop. XXIII. Vaſa,* inquit, *quibus ſacroſancta conficiuntur myſteria, CALICES ſunt & patinæ, de quibus Bonifacius Martyr & Epiſcopus interrogatus, ſi liceret in vaſculis ligneis Sacramenta conficere, reſpondit: Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus utebantur, nunc e contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus.*

Hieronymus Savonarola *libr. IV. de Simplicit. Chriſt. Vitæ pag. CI.* hoc Bonifacii verbum Clericis ſui temporis ac ætatis adcommodat. Quæ alius in ſua *Cenſura Theologica pag. CXV.* ſic illuſtrat: *Olim aureos fuiſſe, nunc vero ligneos eſſe Sacerdotes, non intelligendum eſt, ac ſi olim multum ſibi auri atque argenti acquiſiverint, opibusque abundaverint, hodie rebus ad vitam neceſſariis & bonis fortunæ deſtituti in egeſtate vivant: ſed quod olim aurea fide, morum integritate, vitæ honeſtæ exemplo & pietatis decore fulſerint, de externo ornatu parum ſolliciti:*

ſolliciti: hoc vero tempore externis ceremoniis inhæreant, &, ut omnia, quæ ad ornatum, pompam externumque ſplendorem faciunt adprime procurentur, ſtudeant, ſibi & ſuis optume proſpiciant, multos theſauros colligant, fidem, vitam Chriſtianam & bonorum operum ſtudium inſuper habentes, ut vel hac ratione data Politicis fuerit anſa dubitandi de Religione, ipſis Clericis non ita viventibus, uti vivendum eſſe docent. Sic quidem ille in Bonifacium illum noſtrum commentari, commodum omnino duxit.

Canones ſub Edgaro Rege in Anglia editi *Cap. XL.* in *Codice Spelmanniano* proſtant, quibus uſus LIGNEORUM CALICUM in ſacroſancta euchariſtia proſcribitur. Verba Canonis illius ſunt hæc: *Docemus etiam, ut quivis Calix, quo quis euchariſtiam conſecravit, fuſilis ſit, ex metallo, ET IN LIGNEO NE CONSECRATO.*

Ex quo Canone adparet, *ligneos* olim *calices euchariſticos* fuiſſe. Ad quid enim interdictum eorum, ſi non fuerint? quemadmodum rei uſus abuſus anſam dare ſolet legem ſanciendi, qua tollitur, ſic uſus *lignearum Calicum* cauſſa fuit hujus Canonis prohibentis, ne amplius iis in locis, in quibus hactenus frequentes fuerint, uſurpentur, & ubi non fuerint, non introducantur, ſed *fuſiles ex metallo* admittant. (Confer Matthieu Larrogue en *Hiſtoire de l'Euchariſtie Partie I. Chapit. V. pag.* CXIII.)

Polydorus Virgilius horum meminit *libr.*

Iohannem Hornbeckium in *Miſcellaneis Sacris ibr. I. Cap. XLX. pag. DLV.*

libr. VI. de Inventoribus Rerum Cap. XII. Calices, inquit, *in quibus conſecratio divini ſangvinis ſit, principio ligneos fuiſſe, ſatis conſtat. Atq; id pauperum Apoſtolorum, inſtitutum dixerim, qui ſic voluerunt modis omnibus materiam auferre Sacerdotibus inhiandi opibus, quas ipſi inprimis neglexiſſent.* Hic Polydorus alios ſibi ſimiles reliquit in hac de Calicibus opinione. Scilicet, Apoſtolos *ligneorum* illorum *Calicum* auctores eſſe.

Johannes Baptiſta Caſalius de *Ritibus vet. Chriſt. libr. II.* ejus opinionis admiratorem ſeſe pari modo probat. *Naſcente*, inquit, *eccleſia lignei in uſu Calices erant.* Agnoſcunt igitur ipſi curtam tenuemque in eccleſia primæva ſupellectilem ſacram, qua tamen Eccleſia Romana nimium quantum hodie diffluit & ſuperbit, adeoque longo longius ab indole & ingenio eccleſiæ primitivæ abit, ceu Caſalius, vel me tacente, intelligit, cum tamen Pontificii ſimilitudinem ſuæ cum primitiva eccleſia impenſiſſime crepent.

Johannes Dallæus *libr.* III. *de Cultibus Latinorum religioſis Cap.* VIII. *ligneorum Calicum* auctoritatem elevare non vult. Provocat enim ad Bonifacii auctoritatem, ſuæque diſſertationi inde fidem conciliat. Dallæi verba hæc ſunt: *Quin & ligneo calice aliquando uſos eſſe veteres, illa probant, quæ ex Concilio Triburienſi Burchard' lib. III. Cap. CCXXIII.*

&

& Ivo Part. III. Cap. CCLXXXII. & poſt eos Gratianus recitant, Bonifacii Epiſcopi & Martyris verba. Quondam Sacerdotes aureos ligneis Calicibus uſos eſſe, nunc e contrario ligneos Sacerdotes aureis uti Calicib⁹.

Nec dum hodie ceſſat *ligneorum Calicum* uſus. Etenim, in Colchide, quam recentiores Geographi Mengreliam vocant, adhuc frequentatur. Teſtis eſt Archangelus Lamberti Congregationis Romanæ de Propaganda fide, ut loquuntur, Miſſionarius. Hic in *Relatione* de hac gente *pag. XLI.* hoc ipſum de *ligneo Calice* memoriæ prodit, quo in adminiſtratione ſacroſanctæ euchariſtiæ ibidem utantur.

Optarem equidem! de ætate Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum de hac materia *calicum euchariſticorum fideliora* teſtimonia in literis exſtare. Sed, ſi verum fateri liceat, ſunt illa ejus indolis, ut vix, ac ne vix quidem, eam notam mereantur, qua ab aliis notati ſunt.

Etenim, Honorium quod adtinet, non eſt ille ejus vel ætatis, vel auctoritatis, ut eum teſte omni exceptione majorem in hac cauſſa CALICUM LIGNEORUM habere poſſimus. Nam, Honorius ille vixit ſub Imperatore Henrico V. qui anno MCXXIV. obiit, prout auctores Bibliothecæ Patrum referunt. Qui igitur ille ſine auctoritate tot ſeculorum teſtis fide digniſ-

ſimus

ſimus & quod ajunt, e Jovis tabulis, eſſe poteſt? Nihil dicam de ipſo, quem edidit libello, *Gemma animæ* dicto. Ex quo ille laboret, iis facile ſubolet, qui parum duntaxat a dijudicandi facultate poſſunt.

Huic forſan auctoritas vel Bonifacii in Concilio Triburienſi, vel Canonis Edgari Angliæ Regis anno MLXVII. hanc ſive ſuſpicionem, ſive opinionem de *Calicibus ligneis* primitivæ eccleſiæ receptis proponit. Ea quippe ætate arceſſere ſolebant talia ex primitivæ eccleſiæ ſtatu placita, quæ probatu longe difficillima.

Nihilominus Honorio alii fidem, ut fieri ſolet, habuerunt, quos ante in hoc argumento citavimus. Sed, illi parum penſi habuere, quod ſine auctoritate in hoc ſcribendi genere, nihil liceat, nec recentiori, ſed veteri fide ſtandum ſit, ſi antiquitati genuinæ fidei quam rectiſſime conſulere velimus. Nam, ut verbum ſeſe habet, vulgo quod dici ſolet, *oſcitante uno, oſcitat & alter*, id non raro in talibus accidere, experientia cotidiana probatum proſtat. Judicio igitur utendum, ſi rectius nobis in hoc ſtudiorum genere providere velimus. Fieri enim quam facillime poteſt, ut vel acutiſſimi, ſuſque deque hoc habito, a veri eccliptica longius dilabantur.

Quamobrem etiam Johannes Bona Cardinalis in tantum laudandus, in quantum pietas

pietas, eruditio & candor intelligi poſſunt, de hoc argumento non male ſcribit *libr. I. Rer. Liturg. Cap. XXV. Honorio id adſerenti ſine legitimo teſte non credo. Et ex verbis Bonifacii inferri non poteſt, quod uſus lignei calicis communis fuerit in primitiva eccleſia. Crediderim potius S. Antiſtitem Zelo Dei ſuccenſum præteritorum comparatione ſua tempora redarguiſſe id quod homines paſſim ſolent.* Hæc ſic ſatis bene bonus ille Bona.

Clemens Alexandrinus, πολυμαθέστατος ille Pater *libr. II. Pædag. Cap. III.* uſum poculorum & ſupellectilis Chriſtianæ aureorum & argenteorum vaſorum diſſuadere exemplo Chriſti in medium adlato, ſatagit. Hinc citatum illud caput hiſce orditur: Ἐκπωμάτων τοίνον ἀργυρείων καὶ χρυσίων πεποιημένων λιθοκολλήτων τε ἄλλων ἄθετος ἡ χρῆσις ὄψεως ἀπάτη μόνον. Εἴ τε γὰρ αὐτοῖς ἐγχέαι τις θερμοῦ κράματος διαπορουμένων τῶν σκευῶν ἐπώδυνος ἡ λῆψις. *Argenteorum itaque & aureorum gemmeorumque poculorum irritus & inutilis eſt uſus, ut quibus viſus decipiatur tantum. Nam, ſive eis calidum mixtum liquorem infuderis, excalfactorum moleſta eſt tractatio.* Et paucis quibusdam interjectis infert: Παραπεμπτέα ἅπαντα *Amandanda ſunt omnia*, aurea & argentea.

Chriſti frugalitem in exemplum adſumens, ait: Ὁρᾶτε. Ὁ Κύριος τρυβλίῳ ἐπαίψατο

Vide ad hunc locum *Adnotationes fol. XXVII.* ubi Brodæus & S. Chryſoſtomi *Homilia LI.* laudatur.

ψατο εὐτελεῖ, καὶ κατέκλινεν τοὺς μαθητὰς ἐπὶ τῆς πόας χαμαί. *Videte, Chriſtus in vili catino cibum ſumſit & fecit diſcipulos ſuper humum accumbere.*

Ex eo vero non licet inferre, quod in Eccleſia Chriſti primæva, & alias, & ætate Clementis lignei tantum calices adhibiti fuerint. Id potius ex Clementino illo argumento deducere liceat, ea tempeſtate inter Chriſtianos aureæ & argenteæ ſupellectilis uſum profuſiſſimum impenſiſſimumque fuiſſe, quem Clemens, utpote ſuperfluum, immutatum voluit, ceu verborum ſeries clariſſime patefacit. Nec dubito, ſi LIGNEI CALICES in uſu fuiſſent in eccleſia Chriſtiana, Clementem eos, non ſecus ac τρυβλίον εὐτελῆ in exemplum adſumſiſſe. Hoc autem nullo modo facit, prout liquere puto.

Nec poterat primitiva eccleſia ignorare, non diſplicere Deo aureorum & argenteorum uſum, quum in templo ſacro Iudaico magna eorum copia in promtu eſſet, ceu ex Pandectis Moſaicis, & in eas ampliſſimis commentariis, Epiſtolam ad Ebræos puta, R. Jehuda Leone de *Templo Hieroſolymitano libr. I.* aliisque pluribus ultro citroque videre eſt.

Et, ſi tempore perſequutionum ferviſſimarum Chriſtiani non ligneis, ſed aureis & argenteis CALICIBUS uſi ſunt, quidni

quidni ea ætate,qua ipſi facultatum ſuarum copiam liberrime habere poſſent? Etenim, ex actis Iudicialibus conſtat, Chriſtianos ampliſſimis facultatibus in Iudaiſmo vel Gentiliſmo partis floruiſſe. Apud Cæſarem Baronium in *Annal. Eccleſ. Tom. II. ad Annum Chriſti CCCIII.* ubi de flagrantiſſima perſequutione ſub Diocletiano & Max. Imper. agitur, *Num. VII. & IIX.* hæc repe- riuntur: *Inventi ſunt Calices duo aurei, item Calices ſex argentei.*

Paupertas hujus vel alterius eccleſiæ fortaſſis ligneorum Calicum uſum ex neceſſitate imperavit; ex eo autem ad omnem eccleſiam primitivam non poſſumus inferre. Hoſce in iis eccleſiis Canones forſan putaverunt, dum eosdem ſanctiſſime prohibuere, quum eſſent *bibuli.*

Apoſtolos vero *ligneorum Calicum* in uſu Cœnæ Dominicæ auctores conſtituere, nimis equidem! temerarium & audaculum eſſe puto. Satius fuiſſet Polydorum tacuiſſe, tacente Scriptura ſacra, quam CALICUM LIGNEORUM auctores in SS. Euchariſtia Apoſtolos ſalutare, renunciare.

Interim certum eſt, in profanis *ligneorum Calicum* uſum omnium fere primum fuiſſe; Materia vero ligni non erat unius ſpeciei, ſed, alii ex hoc, alii ex alio genere ligni conficiebantur. De *fagineis Calicibus*

 Ovidius

Ovidius *libr. V. Faſtor.* ſic commentatur:

Fabricataque fago
Pocula.

Virgilius *Ecloga III.*

Inſanire libet, quoniam tibi pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcidamantis.

Seneca Tragicus in *Hercule Octæo Actu II.*

Pectora pauper ſecura gerit,
Tenet e patula pocula fago:
Sed, non trepida tenet illa manu.

Tibullus *libr. I. Eleg. X.*

Divitis hoc vitium eſt, auri nec bella fuerunt,
Faginus adſtabat quum ſcyphus ante dapes.

E buxo *Calices* illi pari modo fuere. Virgilius:

aut torno raſile buxum.

Guilielmus Stuckius *libr. III. Antiq. Conviv. Cap. XII. Ex buxo vas,* ait, *in quo ſal tritum, teſte Polluce, & elementa ad pueros literis imbuendos in eo formata, quæ tabula πυξίον dicta, teſte Herodoto.* Perſius *Satyra V.*

Nam quis callidior buxum torquere flagello.

Pocula *hederacea* veteribus pari modo in pretio erant, eo quid ebrietati reſiſterent, & diſcutiendis doloribus capitis ex temulentia contractis inſervirent, nec vini mixturam admitterent. Varro *libr. de Re ruſtica Cap. X.* Græcis, teſte Athenæo *libr. XI. de Convivio Dipnoſoph.* Euripide in *Andromeda,* & Plinio *libr. XVI. Hiſt. Nat. Cap. XXXVI.* Κιφίβια dicta fuere.

Fraxinea,

Fraxinea, *Thamariſcina* & *Arundinea* ſunt pari modo nota, de quibus velim conſulas Guilielmum Stuckium *libr. II. Conviv. Antiq. Cap. XII. Oleagineis* pari ratione ſunt uſi. JCtus *l. XXX. ff. de l. III.* Sed, quorſum ego? de *Calicibus eucharisticis* diſſerendum memini. Quare huic capiti finem ſtatuere placet in verbis Iſiodori *libr. XX. Etym. Cap. V. Calices & Calathi & ſcalæ poculorum genera, antea ex ligno facta, unde & vocata. Græci enim omne lignum* Cala *vocabant.* Adi & Thomam Demſterum *ad Roſin. libr. V. Antiq. Cap. XXX.*

CAPUT VII.

De *Calicum Euchariſticorum materia vitrea.*

QUam dubius igitur & incertus eſt LIGNEORUM CALICUM euchariſticorum in primitiva eccleſia uſus, tam certus ex adverſo eſt VITREORUM. Equidem! poſtquam vitreum obtineri uſu cœpit, variis illud vaſculis adhiberi cœpit. Eſt quippe vitrum, teſte Plinio, *libr. XXXVI. Cap. XXVI.* materia omnium ſequaciſſima & figuris recipiendis longe adcommodatiſſima & aptiſſima.

Eccleſiam autem VITREOS CALICES

uſui COENÆ DOMINICÆ ſacros eſſe voluiſſe, extra omne dubium poſitum arbitramur. Quod ſi hujus inſtituti auctorem percontati fuerimus, non quidem CHRISTUM nec APOSTOLOS, ſed, Papam ZEPHERINUM nobis nuncupabunt. Hinc Polydorus Virgilius *libr. VI. de Inventoribus rerum Cap. XII.* inquit? *Zepherinus poſtea mandavit, ut in vitreo vaſe, non in ligneo, ut antea, ſacrificaretur.* Vbi cauſſam *ligneorum* abrogationis, quam ante inſinuavimus, ſimul exponit: *Antiquatum eſt id decretum paulatim, cautumque, ne in ligneo vaſe Sacerdos rem divinam faceret, propter materiæ raritatem, qua liquor imbibitur.*

Non contemnendus vitarum Pontificum Romanorum Scriptor, Bartholomæus Platina eumdem nobis ejus inſtituti auctorem commonſtrat, inquiens: *Statuit ille, Zepherinus, ut conſecratio divini ſangvinis in vitreo vaſe, non autem in ligneo, ut antea fieret.* E. ante Zepherinum LIGNEORUM CALICUM uſus obtinuerit, neceſſe eſt.

Honorius Auguſtodunenſis in *Gemma animæ libr. I. Cap. LXXXIX.* horum hiſtoriam antevertit, ſic referens: *Zepherinus autem Papa, vitreis, Calicibus, miſſas celebrari conſtituit.* Damaſus, vel Anaſtaſius in *Vita Zepherini* idem tradit apud Bartholomæum Gavantum *libr. II. Comment. Tit. I.* In libro *Pontificiali* adnexo habetur quoque quod

vitreas

vitreas patenas in ſacroſancta euchariſtia ordinaverit. *Hic*, Zepherinus, *fecit conſtitutum de Eccleſia, ut patenas vitreas miniſtri ante Sacerdotes portarent, dum Epiſcopus miſſam celebraret.* Vt hic relatum exſtat de patenis vitreis, ſic apud reliquos auctores eſt de CALICIBUS VITREIS.

Cardinalis Johannes Bona *libr. I. de Rebus Eccleſ. Cap. XXV.* de iis quidem dubitat. Verum, non opus eſt ulla dubitatione, quum veritas omnibus eluceſcat. Quod ſi enim *patenas vitreas*, quidni etiam VITREOS CALICES ordinarit? De hiſce referunt quoque alii, ſed recentiores plures. In his eſt Johannes Baptiſta Caſalius in de *Ritib. Vet. Chriſt. Cap. X.* ubi hoc inſtitutum totidem verbis ad Pontificem Romanum Zephyrinum refert. Confer Baronium ad *Martyrol. Roman. die VII. Auguſti.* Johannem Dallæum *libr. II.* de *Religioſi cultus objecto Cap. XXII.* Guilielmum Perkinſum in *Catholiciſmo ementito pag. CCCLX.*

Vixit autem Zepherinus Papa Seculo III. ævo S. Tertulliani, & habetur ipſe XIV. Pontifex Romanus. Victori rebus humanis exemto ſucceſſit. Fuit patria Romanus, & divinis potius, quam humanis intentus. Vide Damaſum *Tom. I. Concil. pag. CCCLX.*

Ne tamen de hiſce CALICIBUS VITREIS nobis ullum dubium relinquatur,

ad indubitatæ nec vitreæ auctoritatis virorum teſtimonia nos referamus oportet. In his eſt S. Tertullianus Latinorum Patrũ fere antiquiſſimus. Hic in *libr. de Pudicitia Cap. VII.* hiſce de iis verbis utitur: *Procedant ipſæ picturæ Calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Chriſtiano an ethnico peccatori de reſtitutione collineet.* Sic S. noſter Tertullianus, Pater doctrina excellentiſſimus.

Cardinalis Johannes Bona dl. difficilem ſeſe probat in admittendo ex S. Tertulliano ad VITREOS CALICES EUCHARISTICOS inferri poſſe. Putat enim de alia materia hæc prædicata enunciari quam commodiſſime poſſe. Hinc contra etiam diſputare nullus omnino dubitat.

Verumenimvero, quantumvis epitheton *Vitreum* non diſerte addatur, non obſcure tamen verbum *perlucere* arguit. Hoc de vitro prædicari, vel iis notum eſt, qui nondum ære lavantur. Hinc *vitrum pellucidum* apud Ciceronem. Cui materiæ etiam in ſenſu proprio tribuitur. Quamobrem quoque Jacobus Pammelius in *Notis ad hl. Cap. VII.* ad *VITREOS CALICES* quam rectiſſime, meo quidem judicio, infert.

Idem ille Pater *Cap. X.* ejusdem libri aliam lucem huic noſtro argumento profert. *A qua & alias,* inquit, *initiaris? cui ille, ſi forte patrocinabitur Paſtor, quam in calice depingis*

pingis proſtitutorem & ipſum Chriſtiani Sacramenti, merito & ebrietatis idolum & mœchiæ aſylum poſt Calicem ſubſequuturæ, de quo nihil libentius bibas quam ovem pœnitentiæ ſecundæ. At ego ejus Paſtoris ſcripturam haurio, qui non poteſt frangi.

Heic bonus ille Cardinalis denuo tricatur. Etenim, perſuadere ſibi videtur, ex verbo *Frangi* non poſſe ad vitrum tuto concludi. Eo quod τὸ *Frangi* apud Ciceronem *Orat. VI. in Verrem* uſurpetur de *Annulo fracto.* Et *libr. IV. ad Atticum Epiſt. III.* de *Domo fracta.*

Verum, reſpondemus bono Bonæ. Ejus loci circumſtantias contrarium omnino arguere. Nam, primo dicitur *Paſtor in calice depictus.* Hoc aureo & argenteo non poteſt tribui, ſed de iis prædicare oportebit, verbum *inſculpere.* Vitro autem tam adpoſite, ea præſertim ætate, non poterat imputari. *Depingere* autem commodius transfertur ad figuras vitro inuſtas. Hæ enim pinguntur prius in vitro, ceu notum & deinceps benificio ignis inuruntur. Qua ratione etiam figura illa Paſtoris illi vitro, de quo Tertulliano ſermo cæditur, inuſta fuit, prævia pictura. Non eſt enim ἐγκαυστική heri aut nudius tertius demum inventa, ſed diu multumque apud veteres uſu trita legitur. Pamphylus, Apellis Præceptor eam artem primus omnium docuiſ-

ſe fertur. Apud Ovidium hemiſtichium occurrit, quod fidem facere poteſt.

tabulasque coloribus uris.

Et apud Martialem *libr. IV. Epigr.*

Encauſtes Phaëton tabula tibi pictus in hac eſt,
Quid tibi vis? dipyron qui Phaethonta facis.

Confer Henricum Salmuthum in *Notis ad titulum II. Guidonis Pancirolli de Encauſto.* Plura inferius data occaſione in medium adferre juvabit.

Et quamvis τὸ *frangere*, vel *frangi* de aliis quoque uſurpetur, ſcire tamen juvat, eſſe verbum ejus naturæ, ut uni magis, alteri minus competat. Magis competit vitro, utpote ſubjecto cæteris fragilitate antiſtanti. Ecquid enim vitro fragilius? Hinc apud Publium Syrum Mimum verbum hoc fit obvium: *Vitrum dum nimis ſplendet frangitur.* De reliquis vero minus uſurpatur. Si igitur de hoc magis uſurpatur, quur minus de hoc intelligatur? Baronius ſane! ad annum CCLXXVI. *Annal.* ex hoc loco uſum VITREORUM CALICUM probat. Huic Johannes Dallæus de *Cultus religioſi Objecto Cap. XXII.* adſtipulatur.

Quod ſi tamen luculentiora teſtimonia in hac cauſſa CALICUM VITREORUM EUCHARISTICORUM adpellaveris, non equidem! illa deerunt, ſed, omnium oculos illa perſtringent.

Apud

Apud S. Irenæum, citante Epiphanio, *libr. I. adverſus Hæreſ. Tom. III. Hæreſ. XXXIII.* de Marco Colorbaſo, Hæretico peſſimo, locus de calice adfertur, qui de vitro nonnullis exponitur, in quo præluxit S. Epiphanius, Scriptor fide longe digniſſimus. Lunæi verba ab eo citata hæc ſunt: Ποτήρια οἴνῳ κεκραμένα προσποιούμενος εὐχαριστεῖν, καὶ ἐπὶ πλέον ἐκτείνων τὸν λόγον τῆς ἐπικλήσεως πορφύρεα καὶ ἐρυθρὰ ἀναφαίνεσθαι ποιεῖ. ὡς δοκεῖν τὸν ἀπὸ τῶν ὑπὲρ τὰ ὅλα χάριν τὸ αἷμα τὸ ἑαυτῆς στάζειν ἐν τῷ ἐκείνῳ ποτηρίῳ, διὰ τῆς ἐπικλήσεως αὐτοῦ. *Pocula vino temperata gratiarum actionem ſimulans & ſolemnem precationis formulam longiorem adhibens, purpurea, rubeaque ut adparerent, efficit, adeo ut ſupernam illam cœleſtemque gratiam ad ejus invocationem ſuum in illa vaſa ſangvinem inſtillare putes.*

Fateor equidem! ex loco per ſe, uſum CALICIS VITREI difficilem probatu eſſe. Etenim, vox ποτήριον, qua Irenæus utitur, non *vitreum*, ſed quemvis in genere *Calicem*, ex quacunque materia, denotat. Quapropter nihil ἀποδεικτικῶς inde ad CALICES VITREOS inferri poteſt. Verba illa quidem πορφύρεα καὶ ἐρυθρὰ ἀναφαίνεσθαι ποιεῖ, inſinuare videntur *vitrum*. Nam, in *vitro* tale quid omnium optume oculis ſpectatorum patere potuit. Quod ſi in poculo ex alia materia, minus pellucida, tale quid feciſſet, non videri, nec animadverti

potuiſſet, niſi ſpectatores propius accedentes poculum inſpicerent.

S. tamen Epiphanius obſcuriori huic S. Irenæi loco plus lucis adferens, materiam hujus Calicis diſtinctius exponit: Φασὶ, inquit, τρία ποτήρια λευκῆς ὑάλου παρ' αὐτοῖς ἑτοιμάζεσθαι κεκερασμένα λευκῷ οἴνῳ. Καὶ ἐν τῇ ἐπιτελουμένῃ παρ' αὐτοῦ ἐπῳδῇ τῇ νομιζομένῃ εὐχαριστίᾳ μεταβάλλεσθαι εὐθὺς, τὸ μὲν ἐρυθρὸν ὡς αἷμα, τὸ δὲ πορφύρεον, τὸ δὲ κυάνεον. *Ferunt, tria apud illos*, Colorbaſianos, *candidiſſimo ex vitro vaſa comparari, in quæ album vinum infuſum, dum illam, quam putant euchariſtiam, re vera autem incantamenta peragunt, ſubito commutatur, ut aliud ſangvinei, purpurei aliud, aliud cœrulei coloris adpareat.* Sic Epiphanius.

Hæc autem, quæ commentatus eſt, longe luculentiora iis ſunt, quæ ex Irenæo paullo ante recitata in medium proſtant. Etenim, heic deſcripta non ſolum habentur ποτήρια, ſed ſimul ποτηρίων illorum materia. Nimirum, quod fuerint ex ὑάλου. Nec ſolum quod fuerint ex ὑάλου, ſed, quod ὕαλος ſimul fuerit λευκὴ, *alba*. Et hoc ideo, ne quidquam fraudis ſubeſſe videretur. Color enim albus omnium innocentiſſimus & fide digniſſimus.

In hiſce ποτηρίοις mutatum dicitur λευκὸν οἶνον, *Vinum album*, quo ad majorem rei fidem uti voluit, in ἐρυθρὸν in uno, in altero in πορφύρεον, in tertio in κυάνεον. Et hoc quidem

dem ἀπὸ μαγείας, ceu totidem verbis Epiphanius refert, *per magiam.*

De hiſce S. Epiphanii verbis ἀπὸ μαγείας cuiquam dubium moveri poſſit. Quid ſi enim ejusmodi albi vini mutatio in alios colores facta fuerit non ἀπὸ μαγείας, ſed arte, beneficio diverſorum colorum Spiritus? Hoc enim commode per paucas pillulas, quin imo, unam nonnumquam fieri poſſe, experientia teſtis eſt. Oeconomicum ſane! myſterium ſubeſt hujuscemodi Spiritibus. Etenim, horum benificio una vini ſpecies ſic colorari poteſt, ut vina diverſa eſſe adpareant, cum magno Oeconomi fructu. Hoc myſterium procul dubio huic Colorbaſio Marco notiſſimum fuit, eoque uſus eſt in hoc euchariſtiæ actu. Erant enim hæretici veteres homines ingenioſi & naturæ in primis periti, adeoq; naturalium uſu & exercitio imperitioribus nonnumquam imponebant, ut amorem & adplauſum mererentur. Eo quippe omnia hoc genus hominum refert, eoque pertinaciſſime contendit. Sed, religio nobis eſto. S. Epiphanio contradicere ejusdemque fidem elevare, vel μαγείας nomine magiam, *naturalem* dictam, intelligere.

Lucas Oſiander, diligentiſſimus Centuriatorum Magdeburgenſium epitomator, *Cent. II. Epit. libr. II. Cap. IIX.* de hoc Hæretico

Vide etiam P. Giovanni Severani Da S. Severino in *Roma Sotterranea libr.* V. *Cap.* XXVIII. *pag.* DCXXI.

retico idem narrat. *Fuit*, inquit, *ille magus, & incantationibus magicis vinum in poculis vitreis in cœruleum & purpureum, ſeu ſangvineum colorem permutavit, & tale vinum ſuis ſectatoribus in ſacris ſuis actionibus, quaſi Cœnam Domini celebraturus exhibuit.*

Quod de magia refertur, id confirmatum proſtat apud S. Auguſtinum in de *Hæreſibus ad Quod-Vult-Deum Cap. XIV. Fuit ſummus magus*, Marcus, *quemadmodum adverſus Valentinianos ſcribit Tertullianus & Irenæus quoque libr. I. Cap. IX. Adſidue namque incantationibus & præſtigiis utebatur, ad infirmos & mulierculas inprimis deludendas & ſtupefaciendas propter imbecillitates ſexus, ſpecioſo nimirum prætextu religionis ſummæque pietatis. Id quod fore prædixerat Paulus II. Tim. VI. 6. Maxume vero divites & opulentas matronas adſectabatur, quarum & animum ſuis erroribus, & corpora ſuis ſtupris miſere fœdeque corrumpebat. Denique* φίλτρα *& amatoria pocula* ἀγώγιμα *illis bibenda porrigebat, ut quid ex tam nefando impoſtore ſani bonive ſperandum fuerit, jam tum homines ex ipſius moribus intelligere potuerint.* Sic S. Auguſtinus de hoc Marco.

Doctiſſimus Cardinalis Johannes Bona hunc Marcum vitris illis uſum eſſe putat *æmulando Catholicorum morem.* Concedit ergo Bona eccleſiam Catholicam vitra illa in cœnæ uſu adhibuiſſe, id quod etiam certiſſimum,

tiſſimum, prout ex ſequentibus pari modo eluceſcet. Horum mores imitatus eſt Marcus, ita tamen, ut, quum Catholici rubro, ille albo vino uteretur in majorem ſuæ fraudis admirationem.

De Donato Epiſcopo Aretino & Martyre pari modo relatum legimus, ipſum *Calice vitreo* uſum eſſe in adminiſtratione ſacroſanctæ euchariſtiæ. Hunc pagani fregerint, quem tamen ardentiſſimæ orationis interventu reparaſſe fertur. Animadvertit Gregorius M. *libr. I. Dialog. Cap. VII.* Contigit illud ſub graviſſima illa perſequutione, qua Julianus Apoſtata eccleſiam Chriſti tam crudeliſſime adflixit, quo nomine Gregorius Nazianzenus *Orat.* peculiari in eum admodum invehitur.

An vero per miraculum *VITREUS ille CALIX* reparatus fuerit, de eo nihil dixero. Novi Gregorium Turonenſem *libr. I. de Gloria Martyrum Cap. XLVI.* de eo hiſtoriam relatam referre, quæ in CALICE VITREO fracto in Baſilica Mediolanenſi meritis Laurentii Martyris facta ſit. Sed, fides eſto penes auctorem. Conſtat enim Gregorium Turonenſem auctorem eſſe, qui fabulis, ſi quisquam alius, plurimum dedit.

Miraculis igitur ſuo loco relictis, nobis ſatis eſſe poteſt, indicia habere VITREORUM CALICUM in eccleſia primitiva uſita-

Vide etiam laborioſiſſimum Lipomañum *Tomo* IV. *Martyrol. Rom.* VII. *Auguſt.* Dn. Severanum in *Roma Sotterranea libr.* V. *Cap.* XXVIII. *pag.* DCXXI.

uſitatorum. Quod ſi enim id obtinuerimus, inſtituto huic noſtro ſatisfactum eſſe putemus.

Siquis tamen hæc bina in medium adducta exempla miraculis dubiis & lubricis ſtipata in dubium vocaverit, ut facili equidem! negotio fieri poſſit, ejus deſiderio indubitatis & omni exceptione majoribus teſtimoniis ſubvenire, commodum fuerit.

Horum alterum eſt S. Hieronymi, Epiſcopi Stridonenſis *Epiſt. IV. ad Ruſticum*, ubi Epiſcopum Exuperium admodum laudat, inquiens: *Nihil illo ditius, qui Corpus Domini caniſtro vimineo & ſangvinem portat in vitro*, calice. Scilicet, heic diſſeritur de Communione Clinica, quam ſub utraque peractum eſſe, hic locus luculenter demonſtrat & confirmat, id quod contra Bellarminum *libr. IV. de Sacramento eucharistiæ Cap. XXIV.* & reliquos communionis ſub-una defenſores notandum & urgendum eſt. Diſerte enim dicitur: *Sangvinem in vitro portatum.* Ecquid hoc vel clarius, vel illuſtrius eſſe poteſt ad confirmandam ſententiam de *Calicibus vitreis* in uſu Cœnæ Dominicæ receptis?

Alterum, quod inſinuare voluimus teſtimonium de hiſce *Calicibus vitreis* apud Cyprianum Gallum memoriæ proditum reperire licet. Scilicet, Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, qui *in redemtionem Captivorum*

expenſe

expenſo argento, quod venerabilis Eonius anteceſſor ſuus eccleſiæ menſæ reliquerat, cuſtodiens illud, quod Dominus in arantino parop ſide tinxit panem, non in argenteo vaſe, opus ſanctum, uſque ad divini miniſterii diſpenſationem cum turibulis, calicibus, pateniſque pro eorumdem redemtione vendidit. Et poſt pauca inſerta: *Non credo contrarium eſſe Deo de miniſterio ſuo redemtionem dari, qui ſe ipſum pro hominis redemtione tradidit.* Et quum alii hoc ejus factum culparent, alii vero probarent, ſubjungit Cyprianus Epiſcopus *libr.* I. de *Cæſarii Vita num. XVII. Nonne in vitro ſangvis Chriſti & in ligno corpus pretioſiſſimum ejus pro nobis & fulſit?*

Ecce! *vitri* mentionem facit. *Vitrum* vero eſt CALIX VITREUS, in quo ſangvis Chriſti. *Lignum* eſt *capſula*, vel pyxis ex ligno confecta. Sic Rupertus Abbas *libr. de Incendio Tuitienſi Cap. V.* narrat, Corpus Chriſti in *pyxide lignea conſervatum*. Sed, de hiſce non eſt inſtitutum noſtrum pluribus agere; ſed duntaxat CALICES erudito orbi exponere.

Honoratus Maſſilienſis in *Vita S. Hilarii Arelatenſis* refert: *Qui eo credidit omnia diſtrahenda, quo uſque ad patenas, vel calices vitreos veniretur.* E quo loco palam eſt CALICES VITREOS vel jam tum in recondito rio eccleſiæ fuiſſe, vel, illos ipſos, loco aureorum & argenteorum eſſe conficiendos

endos, prout alias in eccleſia Chriſti obtinuit.

Ex Optato Milevitano alii aliud teſtimonium pro *Calicibus vitreis* accerſunt. Sed, quum illud & incertum & lubricum ſit, prout deinceps patefiet, nolumus ejus auctoritatem aliis fraudi eſſe. Hoc tamen citra dubium CALICES VITREOS non ſolum in eccleſia fuiſſe, ſed duraſſe quoq; per aliquot ſecula. Johannes Baptiſta Caſalius in *de Vet. Chriſt. Rit. Cap. XI.* animadvertit, duraſſe ad ætatem Gregorii Turonenſis. Vixit autem ille ſeculo a nato Chriſto VI. Caſalio prætulit facem Cæſar Baronius. Sed, ſi verum fateri volumus diutius duravit eorum uſus, nimirum ad tempeſtatem Caroli M. prout rectius docet Baronius in *Martyrologio ad diem VII. Auguſti.*

Johannes Dallæus uſum vitrorum in Agapis Chriſtianorum adhibitum originem venditat vitreorum CALICUM EUCHARISTICORUM: nam, a CALICIBUS Agaparum ad CALICES EUCHARISTICOS infert. Verba ejus ſunt: *Vitreis calicibus & Apoſtolicam & proxime ſequutam eccleſiam uſam eſſe inde adparet, quod in convivio, Agaparum celebratam ut plurimum euchariſtiam fuiſſe ex 1. Cor. XI. conſtet, quo probabile ſit non alios Calices adhibuiſſe noſtros, quam quibus in ipſa Agapa biberant. Bibiſſe autem in*

in vitreis, communis uſus hominum arguit.

Nolo autem in eo modo eſſe, ut hæc Dallæi noſtri ad vivum reſecem. Etenim, quod in Agapis vitreis uſi fuerint, non adeo conſtat, ſed, probabile ſaltim videtur. Quid enim obſtat quo minus Calicibus ex alia quadam materia confectis uſi fuerint? Pro ratione perſonarum, prout fieri ſolet, procul dubio calices & vaſcula adhibuere. Certe! ex ſacris & aliunde illud certo demonſtrari nequit, ceu palam eſſe puto. Quid quod ab Agapis ad ſacroſanctam Eu-chariſtiam non poſſit commode concludi. Diverſiſſima enim ratio Agaparum & cœnæ Dominicæ, ceu probatu eſt longe facilliſſimum, nec ulla luce indiget.

Turpe eſt luculentis teſtimoniis, quam incertis & dubiis conjecturis agere, & ſatius eſt e via quam e diverticulo argumenta pro CALICIBUS VITREIS petere. Expendantur, quæ adduximus teſtimonia, & rei veritas quin conſtiterit, nullus equidem! dubito.

Et ſane! ſi genuina ſunt vitra & vaſcula quæ adhuc injuriis temporum ſubtracta a nonnullis exponuntur, res omnis de iis in vado fuerit. Etenim, apud Severanum in *Roma ſubterranea lib. II. Cap. XXXVII. & XLVII. & Lib. VI. Cap. L.* eorum plu-

G

rum

Urnis etiam vitreis utebantur veteres Chriſtiani, quæ repertæ in cryptis Vide Paulum Aringhum in *Roma ſubterranea* ea Vaſcula vitrea cum ſangvine martyrum *lib. III. Cap* XX. *pag.* cclxxvii. & ſeq. Vitreæ imagines *lib.* III. *Cap.* XLII.

rimi fiunt obvii, quos inſpicere integrum fuerit.

Romæ quoque degenti inter reliqua antiquitatum ornamenta oblatos memini CALICES VITREOS, qui ſacroſanctæ eucharistiæ uſui quondam ſacri venditabantur. An vero omnes fuerint, continuo dubitare cœpi, & adhuc admodum dubito. A nonnullis Cardinalibus eam quoque inivi gratiam, ut tales CALICES VITREOS in conſpectum meum producerent, commodum vero putabam, meum de eis judicium tunc temporis ſuſpendere & antiquitatem fictam & ſimulatam admirari. Hoc ipſo eorum poſſeſſoribus nihil prius nec antiquius accidere poteſt.

In eccleſiis noſtris Reformatis uſus VITREORUM CALICUM, ritu eccleſiæ primitivæ, multis in locis adhuc viget. Dico multis in locis, non omnibus. Id pari modo animadvertit Gisbertus Voetius *libr. II. Polit. Eccleſ. Tract. II. Sect. IV. Cap. IV. In quibusdam,* inquit, *Eccleſiis noſtris, quamvis minime pauperculis, utuntur vitris, ut quam longiſſime a pompa & typho ſeculi, imo ab ejusdem ſpecie abſint.*

Quemadmodum vero ligneorum, ſic vitreorum quoque uſus poſt aliquot temporum tractus ab Eccleſia Chriſti proſcriptus eſt. Hoc in Concilio Rhemenſi factum eſſe, relatum lego. Statutum enim ibidem inveni-

invenitur, *Ut Calix Domini cum patena, ſi non ex auro, omnino ex argento fiat.* Quo anno vero hoc Concilium Rhemenſe, ex quo hic citatus Canon profluxit, habitum fuerit, ſua certitudine omnino excidit. Equidem in Synodis Rhemenſibus, quæ apud Sirmondum exſtant, non habetur.

Johannes Dallæus noſter *libr. III. de Cultibus Latinorum Rel. Cap. IIX.* adſerit: *Fieri potuiſſe, ut illi Canoni,* citato, *aliquis rerum eccleſiaſticarum ſtudioſus, invitante argumento iſta de calice & alia conſimilia, ſive, quæ in ipſa illa Synodo tractata ſint, ſive, quæ ex aliis recentioribus decerpſiſſet, in ſuo codice adjiceret, in quæ Burchardus quum incidiſſet, omnia ipſius Synodi putans, in ſuum Decretorum volumen tranſcripſiſſet, Ivonique & aliis errandi cauſſa fuerit.*

Poſteaquam vero dogma tranſubſtantiationis indutis viribus adolevit, in Romana Eccleſia vitreorum Calicum uſum ab ea omnino exſulare juſſerunt. Quo ſpectat *Decretum de Conſecr. D. I. Cap. XLV. Ut Calix &c. Ut Calix Domini cum patena, ſi non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper eſt, vel ſtanneum calicem habeat. De ære aut orichalco non fiat Calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem de vitreo aut ligneo Calice præſumat miſſam cantare.* In *Miſſali Romano De Defect. Miſſ. Cap. X. §. I.* hæc habentur: *Calicis cuppa debet eſſe aurea vel argentea, vel ſtannea.*

Non æreo, non vitreo. Scilicet, qualis olim erat, quum dogma tranſubſtantiationis in eccleſia Chriſti adhuc ignotum eſſet. Confer Bartholomæum Gavantum *Comm. in Rubr. Miſſ. Rom. Part. II. Tit. I.* Polydorum Virgilium *libr. VI. de Invent. Rer. Cap. XIII.* Wiggers de *Sacram. Quæſt. XXIII. dub. I.* & *Quæſt. LXXXIII. dub. XVI.* Claudium Arnaud in *Epit. Theſ. Sacror. Rit. Part. I. Tit. XX.*

Ridiculum tamen hoc eſt, ut aliud quaſi agendo, obſervare liceat, quidquid de ærugine & vini virtute in medium adtulerunt. Aut enim dogma tranſubſtantiationis verum eſt, aut hoc falſum erit. Aut hoc erit verum, & illud falſum. Eligant Pontificii quidquid velint, per me equidem liceat.

Etſi vero CALICES VITREI ampliſſimi uſus fuerint in eccleſia primitiva; in Oeconomia tamen longe amplioris. L. Apulejus *libr. II. Mileſ.* de iis hæc animadvertit: *Amplitudines variæ quidem gratiæ, ſed pretioſitatis unius hoc vitreum fabre ſigillatum.* Ariſtophanes locum quoq; ſuggerit egregium, inquiens:

Ἔπινον, ὁ μὲν ἐξ ὑαλίνων ἐκπωμάτων
Bibebant hic quidem e vitreis poculis

Martialis *libr. I. Epigr. XXXIIX.*
Baſſe bibis vitro.

Statius

Statius in *Sylvis libr. II.*

Permutat vitreis gregale ſulfur

Confer Guilielmum Stuckium *libr. III. Antiq. Conviv. Cap. XII.* Thomam Demſterum à Mureſck in *Roſinum libr. V. Antiq. Rom. Cap. XXX.*

Caput IIX.
De
Calicibus Euchariſticis fictilibus & marmoreis.

NOn eſt vero quod putemus intra haſce modo recenſitas materias veterum Calices ſubſtitiſſe? Omnino non. Sed, ſicut in profanis, ſic in ſacris quoque magna eorum varietas ſeſe ejiciebat. Operæ igitur pretium fuerit, eidem porro paululum cogitationis & temporis impertiri.

Quantumvis vero vilis & exilis CALICUM EUCHARISTICORUM materia, quam hactenus ſub diſpectum vocavimus, videatur, datur tamen, quæ longe vilior & exilior videri poſſit. Antiquitatum enim monumenta excutienti oppido occurrit uſus CALICUM FICTILIUM.

Memini in Italia, & Romæ & alibi locorum ad eorundem conſpectum me ad-

miſſum eſſe. Memini etiam ex candida argilla oculis meis unum eſſe expoſitum, qui S. Hieronymi miniſterio inſerviiſſe omnino putabatur. Memini & alios plures ejuſdem contemplationi in Italia vacaſſe.

Doctiſſimus Jean Mabillon in Itinerario Part. I. pag. XCVII ejuſdem quoque meminit, & ex eo curioſiſſimus πολυμαθέςατοςq; Tenzelius in Colloquiis menſtruis ad Ann. MDCLXXXIX, pag. CCXIV At Mabillon dubitat, an, Hieronymus, rem ſacram fecerit umquam.

Verum enimvero, mihi equidem! continuo de eo multum dubii ſubortum eſt. Etenim, ætate Hieronymi VITREOS CALICES adhibitos eſſe, ex ſupra dictis liquere puto. Ibi enim Hieronymus ad Exuperium Epiſcopum *mittit Chriſti ſanguinem in vitro*, ceu verba ipſa referunt. Quamvis negari nequeat, & *vitreos* & *fictiles*, licet diverſo tempore, loco & actibus uſurpari, vel commutari potius potuiſſe. Quod autem actum ea ætate fuerit, liquido equidem! non conſtat.

Etiamſi autem tales non unis in locis conſpectui, ceu diximus, exponantur, non memini tamen, vel in S. Hieronymi, vel in alterius ſcriptis ejus mentionem factam, reperiri. Id quod mihi ſuſpicionem ſuppoſitionis in primis adauget. Etenim, hujusmodi rebus vel ab ætate, vel auctoritate alicujus poſſeſſoris clariſſimi & ſanctiſſimi quam libentiſſime venerationem conciliare ſtudent.

Nihilominus tamen tam certum eſt, quam

quam quod certiſſimum, FICTILIUM uſum & antiquum & frequentem ac ſolemnem fuiſſe. Antiquitatem quod adtinet, de ea non eſt, quur vel tantillum dubii nobis reliquum eſſe patiamur. Græcis enim antiquis uſurpabantur, ſuo nomine Κεράμια, vel Κεράμινα dicta. Antiphanes in *Mylide* apud Julium Pollucem *libr. X. Cap. XIX.* Ἐξ [illegible] κεραμίων ἐπίνομεν. *Ex [illegible] fictilibus bibebamus.*

Ejuſmodi fictilia reperta ſunt in cryptis Chriſtianor. quibus ſanguinem martyrum Chriſtiani excepere Vide Paulum Aringhum libr. IV. de *Roma ſubterranea* Cap. XX. pag. CCLXXXIX. Vas potorium e quo

Latinis idem uſus haut diſplicuit. Hinc Tibull. *libr. I. Eleg. I.*

Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis
Pocula de facili compoſuitque luto.

Martialis *libr. XIV. Epigr. LXXXVIII.*

Arretina nimis ne ſpernas, vaſa monemus
Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus.

Juvenalis *Satyr. V.*

Pugna Saguntina fervet commiſſa lagena.

Plautus in *Sticho:*

Quibus divitiæ domi ſunt ſcaphio, cantharis
Batiolis bibunt, nos noſtro Samiolo poterio.

Horum FICTILIUM uſus in ſacris gentilium in primis erat nobilis & conſpicuus.

ſpondet in veteri pacto potata legitur, *fictile* fuit. In *Miſchna Cap.* II. היה מביא פיילי של חרש חדשה adtulit, Sacerdos, *phialam fictilem novam.* Maimonides in *Hilcot. Sota Cap.* III. §. IX. Auctor libri כלי יקר *fol* C. *Col.* I. Johannes Chriſtophorus Wagenſeilius in *Notis ad Sotam.pag* CCLVI. Confer *Marc* XIV. in quem locum Antonius Bynæus *libr* I. de *Morte Chriſti Cap.* VI. *pag.* CCCCLXXIX, adprime illuſtrat.

Cicero in *Fragm. de Rep.* locum quemdam ſuppeditat. *Læti*, inquit, *quum omnes habeamus in manibus, quam Diis immortalibus gratæ ſint Sympina, ſeu* Sympirna *Pontificum Samiaque, ut is ſcribit, capedines.* S. Tertullianus egregium locum producit in hujus argumenti fidem, in *Apologetico Cap. XXV. Frugi religio & pauperes ritus & nulla Capitolia certantia cœlo, ſed temeraria de ceſpite altaria & vaſa adhuc Samia & nidor ex illis & Deus ipſe nuſquam.*

Sic Numa Pompilius non aliis, quam fictilibus ſuis Diis litare volebat, vel, ut Cicero de eo *Paradoxo* II. & *libro de Natura Deorum* loquitur, *fictilibus urnulis, capedunculis ac ſympullis.* Seneca *libr.* I. de *Beneficiis Cap.* VI. *Boni etiam farre & fictili religioſi ſunt.* Fernandus Pincianus animadvertit, *fictili* in nullo MS repertum eſſe, ſed in quibusdam *fictila*, in aliis *fidelia*. In Facundi & Primitivi exemplaribus *fidelia*. Hanc Lectionem Muretus *libr. XII. Variar. Lect. Cap. I.* retinet.

Doctiſſimus Satyricus Perſius *Satyra II.* ejuſmodi fictilia ſacra etiam exponit:

> *Aurum vaſa Numæ Saturniaque impulit æra,*
> *Veſtalesq; urnas & Thuſcum fictile mutat.*

De *Simpuvio* jam tum ſupra diſſerui. Confer Thomam Dempſterum a Mureck in *Paralip. ad Johannem Roſinum libr. V. Cap. XXX.*

Scilicet *fictilibus* Deos citius placari & moveri

moveri putabant. De quo eximium teſtimonium proſtat apud Porphyrium *libr. II. de Abſtin.* §. XVIII. Διὰ τοῦτο καὶ τοῖς κεραμίοις ἀγγείοις, καὶ τοῖς ξυλίνοις, καὶ πλεκτοῖς ἐρχόντων μᾶλλον πρὸς τὰς δημοτελεῖς ἱεροποιίας, ... χαίρειν ... τὸ θεῖον. Ὅθεν καὶ ... ἡ κεραμία, καὶ ξύλινα ὑπάρχοντα μᾶλλον θεῖα ... τὴν ὕλην, καὶ ... τῆς ... Adi etiam Guilielmum Stuckium *libr. III. Antiq. Conv. Cap.* XII.

Neſcio equidem! annon huic adfine putandum, quod Paulus adfert *II. Cor. IV. 7.* Ἔχομεν δὲ τὸν θησαυρὸν τοῦτον ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσι. *Habemus theſaurum in teſtaceis vaſculis.* Me non latet dari qui hiſtoriam Gideonis cum lampadibus & ollis hoſtes fugantis huc inſinuari arbitrantur. Alii ad lucernam in teſtis latam reſpici putant. Verum, ego longe rectius & tutius puto adtendi vaſa illa ſacra fictilia, quibus Diis libatum novimus, quod nec Corinthios ex gentiliſmo nuperos fugere poterat. Quæ enim in illis ſacra ferebantur, omni cura & ſollicitudine, ne vel perirent, vel effunderentur, ſervabantur.

S. Chryſoſtomus *Homilia X. ad Populum Antiochenum*, aliam rationem & expoſitionem hujus loci adfert, ſed, illa, quamvis pia

Hinc Deorũ imagines FICTILES prout S. Tertullianus in *libr. de Idololatria* obſervat & in primis Ferrandus Imperatus Neapolitanus in *Hiſtoria naturali libr.* II. *Cap.* V. ubi de Jovis, Herculis, & aliorum mentionem facit. Confer Philonem περὶ βίου θεωρητικοῦ *fol.* LX. Arnobium *libr.* VI. *adverſ. Gent.* & Ouzelium in *Notis ad Minucii Felicis* Octavium *pag.* CCXIX.

& morata ſit, a mente tamen Spiritus S. genuina eſt paullo remotior. Quamobrem in illa, quam dedimus, adquieſcere potius volumus, quam aliam comminiſci.

Horum fictilium ſeriei commodum ducimus *lapideos*, vel *marmoreos* adponere. Hi ſequiori ævo videntur in eccleſiam Chriſti introducti. Horum mentio fit in *Vita S. Theodori Archimandritæ* apud Laurentium Surium die XXII. *Aprilis*. Scilicet, memoriæ ibidem proditum eſt, Gregorium Presbyterum, quum monaſterium abs ſe ædificatum auctum eſſet, argentea vero ſupellectili careret, & *vaſa tantum marmorea in myſteriis adhiberentur*, miſiſſe ſanctiſſimum Theodorum Archidiaconum ſuum ad Regiam civitatem ut *argenteum vas ad ſacrorum myſteriorum uſum emeret*. Confer Johannem Baptiſtam Caſalium de *Sacr. Vet. Chriſt. Rit. Cap. X.* Johannem Bonam *libr. I. Rer. Liturg. Cap. XXV.*

Venetiis talis materiæ Calix cernitur. Et purioris uſus tales fuiſſe, omnino conſtare arbitror. Non memini tamen eorum uſum adeo frequentem fuiſſe. Quapropter etiam ſacrum ſilentium apud Scriptores ſacros eorum deprehendo. Proinde tanto breviorem argumenti defectus me eſſe jubet.

Apud Romanos vaſa marmorea in uſu fuere, in quibus cibi ſunt adpoſiti. Hujuſ-

cemodi

[illegible]di S. Auguſtinus uſus dicitur, teſte Poſſidio in ejus *Vita Cap. XXII.* Marmore [illegible] incruſtare ſolemne erat. Dicebatur Μαρμάρωσις. Fulgentius in *Mythologia lib. I. Cap. XIV.* de Mida. *Nam & cibos & potum [illegible] auri materia marmorabat.* Confer Caſparem Barthium ad *libr. IV. Statii Silv. [illegible]* *Menſas marmoreas* invenio apud Lampridium in *Heliogabalo* & apud Fulvium Urſinum in *Appendice ad Ciacconii Triclinium pag. CCXVIII.* Hodie adeo raræ non ſunt. *Aræ marmoreæ* ſæpe quoque obſerunt. Confer Guilielmum Stuckium *libr. II. Antiq. Conviv. Cap. XVIII.* In Pontificia Eccleſia *tabula marmorea* occurrit, quæ obſertur deoſculanda [illegible]. Synodus Bajocenſis anno M[illegible]C. *Cap. 8. [illegible] & di[illegible] [illegible] Presbytero in altari, [illegible] quam duabus mulieribus marmor tradatur deoſculandum.*

Caput IX.

De

Calicibus Euchariſticis metallinis.

VArietatem materiei CALICUM EUCHARISTICORUM contemplari cœpimus. Nonnullis eorumdem penitius inſpicere, occaſio tulit. Cœptam telam pertexere operæ pretium porro fuerit. Non eſt enim quod putemus, nos omnem

omnem jam tum diverſitatem materiarum earumdem in enarrando proſequutos eſſe. Supererunt equidem! adhuc plura alia materiarum genera, quæ *Calices* conſtituere.

Quemadmodum vero *metallum* ubique regnare ſolet, ſic in eccleſia quoque. Hinc factum, ut ex eo *calices euchariſtici* pari modo confecti legantur. Etenim, Gallus & Columbanus Abbates iis ſunt uſi, prout animadvertit Johannes Baptiſta Caſalius in de *Ritibus Veter. Chriſt. Cap. XI.*

Nec dubito, quin in Decreto illo Gratiani Synodus eo reſpexerit. *De ære aut Orichalco, non fiat Calix, quia ob vim æris æruginem parit, quæ vomitum provocat.* In *Miſſali Romano* eadem materia prohibita reperitur.

Confer Claudium Arnaud in *Compendio Sacr. Rit. Theſ. Part. II. Tit. I.*

Eccleſiæ paupertas ejuſcemodi metalli uſum procul dubio invexit, quin imo, propemodum imperavit. Vel etiam ſimplicitatem ſuam eo ipſo publice commendare voluit. Priſca quippe ætas ut devotionis, ſic ſimplicitatis quoque longe ſtudioſiſſima erat. Hinc ſimplex victus, ſimplex & amictus apud eam uſu obtinebat, prout omnis hiſtoria teſtis eſt.

Gerlacum Vinitorem in *Comp. Sacr. Rit. Part II. Tit. I. pag.* XCIIX.

Videri tamen poſſit, hoſce in veteri fœdere divinum inſtitutum imitatos eſſe. Hoc quippe æs in ſacrorum vaſorum confectione deſiderabat. Multis quidem hinc ipſum probari poſſet, modo neceſſitas poſtularet.

S. Thomam III. *Part. Quæſt.* LXXXIII. *Artic.* III.

[illegible]. Non unis ſane ! in locis materiæ hujus mentio facta eſt. R. Jehuda Leo libr. [illegible] XIV. de CRATERIBUS idem refert. Hiſce *Sacerdotes recipiebant ſanguinem* [illegible], *quos offerebant, ut deinceps ſpargerent de eo ſuper quatuor cornua altaris.* Maimonides Crateris facit mentionem in *Hilcoth Abodath jom Haccippurim Cap. IV. §. II. & Codice Joma Cap. V. §. 4.* ואלך כך מערה דם הפר לתוך דם השעיר ומחזיר הכל למזרק שהיהבו דם הפר כדי שיתערבו יפה יפה: *Deinceps effundit,* Pontifex, *ſanguinem juvenci intra ſanguinem hirci, ac refundit deinde omnem in craterem, in quo fuerat ſanguis juvenci, ut* [illegible] *commiſceantur.*

Lælius Bisciola, multæ & variæ eruditionis vir *lib. I.* [illegible] *Cap. XI. In templo*, inquit, *Salomonis ac tabernaculo Moſis, nulla res ferrea fuit, ne clavi quidem, paxilli, uncini, ſed omnia ærea ubi alioqui utendum erat ferro.* Confer Cornelium a Lapide *Comment. in Exodi XX.* Martinum de Roa *libr. III. Sing. Tom. II. Cap. XIV.*

Quod ſi rem penitius inſpexerimus ad durabilitatem reſpectus procul dubio omni habitus fuit. Æs quippe metallum durabile eſt, nec tantum detrimenti ex uſu capit, quantum aliud. Ad ſignificationes myſticas me recipere in facili eſſet, ſed, quid iis opus?

In

In ethnicorum ſacra hæc vaſa ærea & pocula metallina ſeſe inſinuarunt. Id quod a Judæis procul dubio omni defluxit, à quibus gentes multa ſunt ſubfuratæ, prout S. Hieronymus alicubi animadvertit & Euſebius Pamphilus. Notum eſt *æs Saturninum*, ex quo vaſcula ſunt confecta. Perſius *Satyr.* II.

Aurum vaſa Numæ Saturniaq; impulit æra.

Scholiaſtæ hunc locum hac ratione juvant. *Æs Saturni tempore in primis in Sacris uſu veniſſe.* Sic in templo Jovis ex ære Dodonæo pelves erant, prout ex Claudiano patet de *Raptu Proſerpinæ. I.*

Æs Corinthiacum pari modo notum eſt. Quo etiam reſpexit Apoſtolus 1. *Cor. XIII. Æs tinniens.* Hoc ex auro & argento mixtum fuit, adeoque ſonus penetrantioris & acutioris, quocum comparare voluit Apoſtolus qui Chriſtianiſmum quidem ampliſſime profitetur, interim tamen exercitio caritatis Chriſtianæ vacat. De hoc ære Muretus *libr. III. Var. Lect. V.* diſſerit. Meller Palmer in *Spicilegio pag. CLXXXIII.* Guido Pancirollus *Tom. I. Memorabil. Tit. XXXIV.* Lælius Biſciola *Tom. I.* Subſ. *Libr. XV. Cap.* XX. Michael Watſon *Part. I. Theatri var. rer. Tit. XXXIV.* Et, qui primo loco nominari debebat Plinius *libr. XXXIII. Cap. XI.*

Ex hoc ære Corinthiaco non modo variæ monetæ procuſæ in medio proſtant

apud

apud Antonium Auguſtin. *in Antiq. Roman. & Hiſp. in Nummat. pag. LXXXIII.* Rumiꝛcanum *ad Luitprandum pag. CCCCXXXV.* Verumetiam vaſa eximia. Cicero pro Sex. Roſcio *Amerino: Domus,* inquit, *referta vaſis Corinthiis & Deliacis, in quibus eſt authepſa illa, quam tanto pretio nuper mercatus eſt, ut qui prætereuntes pretium numerari audiebant, fundum venire arbitrarentur.* Confer Petrum Ciacconium in de *Triclinio pag. XXXVII.*

Vſum æris ſacrum nobis oſtendit Virgilius *libr. I. Æneid.* ſic modulando:

> *Ærea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque*
> *Ære trabes, foribus cardo ſtridebat ahenis.*

Vbi Servius bene animadvertit, *quod hæc materies religioni magis apta eſſet.*

Quapropter Deorum templa *Chalcidica* dicta reperio, *ærea.* Eo quod ex ære confecta & ornata fuerint, in Deorum honorem. In primis ædes Minervæ hoc epitheto *Chalcidica* dicta fuit. Hujus meminit Dio *libr. LI. de Auguſto* loquutus: Ἐπεὶ δὲ ταῦτα διετέλεσε, τό τε Ἀθήναιον, καὶ τὸ χαλκιδικὸν ὠνομασμένον, καὶ τὸ βουλευτήριον, τὸ Ἰούλιον καὶ ἐπὶ τῇ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τιμῇ γενόμενον, καθιέρωσεν. *Deinde Minerva templum, quod Chalcidicum vocatur, tum Curiam Julian, in honorem ſui facti m dedicavit.* Confer Cœlium Rhodiginum *Antiq. libr. XVI. Cap. IIX.* Livium *Decad. V. libr. V.*

Deorum

Deorum templa & ædes ex eadem materia a Poetis ultro citroque ſiſtuntur. Homerus de Vulcani æde ærea hunc in modum modulatur:

> Ἡφαίϛȣ δ' ἵκανε δόμον Θέτις ἀργυρόπεζα
> Ἄφθιτον, ἀϛερόεντα, μεταπρέπε' ἀθανάτοισι
> Χάλκεον, ὅν ῥ' αὐτὸς ποιήσατο Κυλλοποδίων.
>
> *Vulcani autem pervenit ad domum Thetis argentipes*
> *Incorruptum, ſtellatam decoram inter mortales*
> *Æream, quam quidem ipſe fecit claudus.*

De aliis in medium multa adducere poſſemus, ſed, religio nobis eſt extra olcas, quod ajunt, ſaltare. Quamdoquidem autem æs ſacri uſus fuit, idcirco boni ominis ſemper eſt habitum. Vide & in condendis urbibus adhibitum novi, ceu auctor eſt Carminius *libr. II. de Italia* apud Martinum de Roa *libr. III. Singul. Cap. XIV.* qui hunc ritum etiam ediſſerit. *Thuſci*, inquit, *æreo vomere mœnia deſignabant boni ominis ergo, & locum expiandi cauſſa, quaſi ex bene ominatis initiis futuram impoſterum felicitatem ſibi pollicerentur.*

Hinc leges XII. tabularum æri inciſas novimus, tum ob ſanctitatem, tum ob durabilitatem. Vtriusque enim æs ſolet eſſe Symbolum. Scaliger quidem in *Animadverſ. in Melch. Guilandini Papyrum* pro *æreas* legere mavult *roboreas*, id eſt, *ligneas*, quales fuerint ἄξονες καὶ σανίδες, καὶ κύρβεις Solonis,

loci iis fretus auctoritate Dionyſii Halicarnaſſæi *libr. X. Cap. LXVI.* Verum, in eo Scaliger, & qui ejus auctoritatem ſequuntur, fallit & fallitur. Sunt enim qui veritati rectius conſulunt. Inter eos Livius *libr. III. Cap. LVII. Priusquam urbe conſules proficiſcerentur, leges decemvirales, quibus tabulis XII. eſt nomen, in æs inciſas, in publico propoſuerunt.* Et *libr. VI. Cap. I. In primis fœdera ac leges, erant autem æreæ XII. tabulæ, & quædam Regiæ leges, conquiri quæ comparerent, juſſerunt*, prout hunc locum ſanare voluit Carolus Sigonius in *Scholiis Livianis.* Diodorus Siculus *libr. XII. Cap. XXVI. Jura igitur populi Romani ſic abſoluta, XII. tabulis æneis inſculpſerunt, eaſque pro curia, roſtris adfixerunt.* Quo alludit Ovidius *libr. I. Metamorph. fabula III.*

Pœna nutusque aberant, nec verba minacia fixo
Ære ligabantur.

Ante vero quam hanc materiam miſſam faciam, juvat ſimul animadvertere, Calices ex eadem factos in profanis deprehendi. Sic apud Ariſtophanem reperiuntur ποτήρια χαλκικὰ apud Grammaticum Phavorinum in *Lexico fol. MDCCCLV.* ubi aliud genus ſacrorum inſinuare pari modo videtur, inquiens: Περιφέρονται δὲ καὶ χαλκικὰ ποτήρια καὶ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ. In[illegible] calices inquiritur amplius: Ἐκ ποίας δὲ

αὐτῷ εἰσι χαλκίδος, ζητητέον. Ἀνδρείους δὲ τοὺς Εὐβοεῖς χαλκιδεῖς, ἡ ἱστορία οἶδεν. Οἱ γοῦν χρησμοὶ ἄνδρες, οἱ πίνουσιν ὕδωρ ἱερῆς Ἀρεθούσης οἱ χαλκιδεῖς γέγονται, ὡς ἄριστοι ὄντες. Ἔχει γὰρ καὶ ἡ ἐκεῖ χώρα κρήνην Ἀρέθουσαν. Sic Phavorinus de hiſce poculis, eorumdemque origine differere voluit.

CALICIBUS tamen illis ÆNEIS EUCHARISTICIS alterius materiæ *Calices*, antequam huic capiti finem ſtatuimus, adjungere placet. Sunt autem illi STANNEI. Horum mentio facta eſt in Concilio Rhemenſi, cujus Canon docet: *Si ex auro & argento calix* haberi nequeat, *ſtanneus adhibeatur.*

Quod ſi forulos ſacros excuſſerimus hinc & hinc ejus materiæ *Calices* in templis ſeſe obſerent. In Germania in nonnullis templis Paganis STANNEOS CALICULOS vidi, quibus Parochi communionem Clinicam peracturi, uti dicuntur. Quamvis eccleſiæ paupertatis moleſtia preſſæ in aris & uſu euchariſtiæ ejus materiæ pocula publice quoque uſurpent.

Scilicet, STANNUM metallum eſt aptiſſimum ad patenas & cantharos conficiendum. Nec enim vel cibus, vel potus inſipidus eſt, qui ex hujus materiæ vaſculis petitur. Hinc *ſtannea ſupellex* in œconomia hodie

Vide Danielem Sennertum *Libr.* V. *Phyſic. Cap.* V. Antonium Le Grand *Parte* IV. *Phyſ. vel Hiſt. natur. Artic.* V. *pag.* CCXXVII, Et Ferrandum Imperatum in *Hiſtoria naturali libr.* III.

hodie etiam regnat, eaque nihil uſitatius, nihil tritius. Eſt quippe materia ſolidior & recuperabilis, qua Anglia noſtra in primis abundat, aliiſque longe, ceu notum eſt, antiſtat.

Num veteribus hoc genus metalli tam tritum notumque fuerit, & ex eo ſupellex tanta copia confecta fuerit, quanta hodie, ego vix ac ne vix quidem, dixero. Hoc certum, rarius ejus in veterum Scriptis mentionem fieri. Apud Plinium tamen invenio *lib. XXIX. Cap. II. Stannea Pyxis*. In iis vaſculis condidere balſama & hujus generis alia a corruptione vindicanda. Sed, hoc fuſius perſequi, non eſt noſtri inſtituti.

Non poſſum tamen inficias ire, hoc genus *Calicum* æque ac aliarum materiarum, progreſſu temporis per decreta publica proſcriptum eſſe. Richardus, Cantuarienſis Epiſcopus - Princeps, immediatus S. Thomæ Martyris ſucceſſor, in Synodo a Rogero Hovedenſi narrata cavit, ne *conſecretur eucharistia niſi in Calice aureo, vel argenteo, & ne CALICEM STANNEUM EPISCOPUS BENEDICERET.*

A Romano Pontifice Leone IV. in de *Cura Paſtorali* ſtannei Calices pari modo interdicti deprehenduntur, Pontificibus enim illis omnia in pompam adornata, placent. Alia mens tamen Pontifici vere maximo, alia mens S. Petro fuit, prout ex

Hiſtoria S. abunde liquet. Confer Aniſium in *Vita S. Benedicti Abbatis num. III.*

Non conſtat tamen inter Pontifices quod ad hoc argumentum. Etenim, interdictum de CALICE STANNEO deinceps ſublatum irritatumque novimus. Ejus quippe uſum Innocentius IV. Papa conceſſiſſe fertur. Hinc apud Johannem Baptiſtam Caſalium de *Veter. Chriſtian. Ritib.* *Cap. XI.* ſcribit: *In præſenti unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo ſolum, aut ſaltim ſtanneo Calice ſacrificet, habens Corporale de lino candidum & nitidum, ut in Bullæ Innocentii IV. Papæ ſuper Ritibus Græc. Anno XI. Pontif. num. XIII.*

Petrus Damianus *Opuſculo XXIII. Cap. I.* acerrime invehitur in Sacerdotum incuriam, qui *ſtanneis, vel etiam ſuppparis cujuscunque metalli Calicibus cinque ſordidis utebantur, quos propriis adhibere labiis vir quilibet potens non dignaretur.* Concedit igitur Damianus *ſtanneorum Calicum* uſum in eccleſia receptum. Sorditiem duntaxat omnem ab iis abeſſe deſiderat. Sacra enim vaſa ſint pura, & abluta in aris vel menſis adponantur; ne nauſea, vel faſtidium iis, qui utuntur, ſuboriatur. Id quod in Agendis Hierophylacibus, vel adhuc hodie, etiam atque etiam mandari ſolet. Sed, de hiſce CALICIBUS STANNEIS ſatis.

Confer Pontificale Romanum Vrbani VIII. de *Ordinatione Subdiaconi pag.* DXVIII.

CAPUT

Caput X.

De Calicibus Euchariſticis Corneis.

Vllioris materiæ CALICES EUCHARISTICOS hactenus vidimus. Sic enim natura fert, ut a vilioribus ad precioſiorum contemplationem digrediamur. Iis igitur annumerandos eſſe putamus, qui ex CORNIBUS confecti ſunt. Horum uſus inſignis & conſpicuus eſt in uſu Sacroſanctæ euchariſtiæ apud Anglo-Saxones. Etenim, CORNU ſunt uſi, ex quo alterum ſacroſanctæ euchariſtiæ ſymbolum, vinum puta, hauſerunt.

Id palam eſt ex Thomæ Bartholini *libro de Medicina Danorum domeſtica Diſſert. VII.* ubi non ſolum de eo teſtatur, ſed etiam ad poſſeſſionem ejuſcemodi CALICIS CORNEI, quo Norwegi in miſſæ Sacrificio uſi ſunt, confidentiſſime provocat. Verba hujus viri doctrina excellentiſſimi hæc ſunt: *Tranſiit iſta cornuum figura etiam apud veteres Danos ad uſum ſacrorum & Chriſtianis CALICIS loco in euchariſtia adhibita. In cujus rei fidem ſimile cornu auro hinc inde obductum literiſque barbaris, ſed ſacris, ornatum in muſeo ſervo.*

Id quod ex *Concilio Calchutenſi*, anno DCCLXXXVII. celebrato *Canone* X. etiam

liquet, quo eorum uſus interdicitur. Nimirum, *ne de cornu bovis Calix aut patena fieret ad ſacrificandum, quod de ſangvine ſunt.* In Anglia ſub Adriano hoc Concilium eſt celebratum. Patere autem inde arbitror, verum eſſe, quod de Cornuum uſu in SS. Euchariſtia frequentato a Bartholino aliisq; adſeritur.

Scilicet, hæc conſvetudo pocula ex Cornibus conficiendi non hodie nata eſt, ſed, ea pridem obtinuit. Ex veteri fœdere id ipſum abunde notum eſſe puto. De Cornu oleo pleno conſtat ex 1. *Sam.* XVI. 1, 13. 1. *Reg.* I. 39. Arabs generali nomine *vaſculi* utitur: Spiritus S. uſurpare voluit nomen קרן Valentinus Schindlerus in *Lexico Pentaglotto* קרן interpretatur, *Vaſculum ungventi corneum ad ungvendum Reges, juſſu Profetarum. Hoc erat in tabernaculo teſtimonii cum aliis vaſis ungventi repoſitum juxta arcam fœderis, & continebat ungventum a Moſe confectum, quo ungebantur tantum Reges de domo David, quorum regnum erat durabile, & tantum ungventi capiebat, quantum ad unam unctionem ſufficiebat.* Sic ille.

Audit etiam פך 1. *Sam.* XI. Sed, interpretes differentiam conſtituunt inter קרן & פך prius nomen huic vaſculo impoſitum animadvertunt ratione materiæ ex qua. Ex cornu enim conficiebatur. Poſterius impoſitum eſt ratione formæ. Toſtatus Abulenſis

Abulenſis in 1. *Reg.* X. 2. putat, *Lenticulam fuiſſe auream vel argenteam, atque adpellari aliquando cornu, quod aliquam cornu figuram & ſimilitudinem referat, & ſit velut guttus recurvus.* Caſpar Sanctius tamen aliter ſentit *Comm. in 1. Reg. I.*

Pineda *libr. II.* de *Rebus Salomonis Cap. VI.* quum priſcam adſervandi in cornibus olei ſancti rationem obſervaſſet, infert, ex priſco ritu paſtoritio conſvetudinem deſumtam, ut Regem & Sacerdotem Paſtori cognatum eſſe, ſignificaretur. Obſervat ſimul non Cornu nativum, ſed ex argento & auro intelligi deberi. Putat ergo Pineda, Cornu dici non ratione materiæ, ſed, formæ.

Notari quoque meretur Gothos hujusmodi vaſcula ſacra, ſive CALICES de *Cornu* adpellaſſe. *Marc. X. 38. Ith. Iaiſus quathuh du im. ni viuths buis bidjats. Maguts driggkan Stikl, thanei ih driggka* §. *XXXIX.* idem illud nomen *Stickl* repetitum proſtat, aliisque in locis novi federis in lingva Gothica ſcripti.

In *Gloſſario Vlphila-Gothico* vox illa *Stickl* exponitur *Calix*, poculum. *Joh. XVIII.* 11. *Stickle Calicum* Marc. VII. 4. & IIX. *Stickla kaldis vatins* Matth. X. 42. Verſio Islandica Stikl. *Cornu, vas potorium.* Proprie eſt, *pars extrema cornu acuta.* Adeoque a *Cornu* in lingva Gothica adpellatio CALICIS eſt petita.

Non ſuſque deque habenda eſt obſervatio, quæ eſt Caſparis Sanctii in *Comm. I. Sam. X.* nimirum, quod *CORNU vas omne ſignificet, ſive illud ſit poculum ad bibendum, ſive ad continendum unguentum, multa probant. Græcorum uſus,* pergit, *frequens, qui millies pro Calice vaſeque potorio* κέρας *adhibet, quod idem valet quod cornu & quum vaſa olim prioribus ſeculis ex cornea materia fingerentur, factum eſt, ut* Cornua *nunc etiam dicantur* pocula *ex quacunque materia conflata.*

Quemadmodum vero קרן enixum videtur Græcorum Κέρας, prout animadvertit Gerhardus Johannes Voſſius in *Etymologico Latino voce Cornu*: ſic κέρας viciſſim *Cornu.* κέρας deinceps Κρατὴρ, Latinis: *Crater*, prout Philologi pridem animadvertere, & nos in præſentia parum moramur.

Quo doctiſſimus veterum rerum compilator Athenæus *libr. XI. Dipnoſoph.* obſervatum ſuum dirigit, inquiens: *Priſcos fama eſt, atque homines olim cornibus bibiſſe boum, liquet hoc ex eo, quod adhuc, dum aqua vinum permiſcent,* κεράσαι *dicunt, & vas in quo vinum miſcetur, craterem adpellant,* ἀπὸ τοῦ κέρατος, *quaſi* κερατῆρα, *quoniam in cornua potio fundatur.* Nonnus *libr. II. Dionyſiac.*

Καὶ βόεσς ἀρύοντο κεράεσσιν ἀντὶ κυπέλλων
Μήπω φαινομένων· ὅθεν ὕστερον ἔξετι κείνου
Θέσκελον οὔνομα τοῦτο κεραννυμένῳ πέλεν οἴνῳ.

Quæ

Quæ ſic vertere in Latinum poſſumus:
Si bubulis hauriebant cornibus loco poculorũ,
Nondum adparentium unde poſterius ex illo
Divinum nomen hoc commiſto fuit vino.
Et paullo ante Nonnus ſic modulabatur:
Καὶ δέπας ἀγκύλον εἶχε βοὸς κέρας ἡδυπότε δὲ
Χείλεσιν ἀκροτάτοισιν ἐγεύσατο Βάκχος ἐέρσης.
Et poculum curvum habuit bovis cornu ... em
potum habentem vero
Labiis ſummis guſtabat Bacchus rorem.
Scholiaſta Nicandri in *Alexipharmaco* cum ritum veterum nobis ediſſerit, inquiens: Οἱ παλαιοὶ κέρασιν ἐχρῶντο ἐν τῇ πόσει αὐτῇ τῶν ποτηρίων. *Antiqui Cornibus utebantur in convivio pro poculis.*

Hiſtoricus ille Græcus Xenophon *libr. VI. Exped. Cyri* idem refert. Κατακείμενοι δὲ ἐν σιβάσιν ἐδείπνουν, καὶ ἔπινον ἐκ κερατίνων ποτηρίων. *Quum in grabatis inter cœnandum diſcumberent, ac biberent e poculis cornu factis.* Et *libr. VII.* Καὶ κατὰ τὸν Θρᾳκικὸν νόμον κέρατα οἴνου προὔπινον. *At ſecundum Thraciam legem, cornua vini ſibi propinabant.*

A gentibus divertimur ad Chriſtianos. De hiſce eximius locus in literis exſtat apud S. Ambroſium *lib. de Elia & Jejunio Cap. XVII. Per eorum etiam*, ait, *fluentia in fauces hominum vina decurrunt, & ſiquis reſpiraverit, commiſſum flagitium, ſoluta acies, loco motus habetur.* Et denuo ſcribit: *Epulis dividenti adſiſtunt pueri cornua nitentes, ex gente*

barbarica ad hos uſus electi, per ſingulorum diſtinci ætatum vices, cornu in medio vini plenum, non epularis, ſed præliaris inſtrumentum buccinæ.

Proinde ſæpiſſime *Cornu* in ſequioris ævi Scriptorum eccleſiaſticorum monumentis pro *poculo*, vel *Calice* uſurpatum reperitur. Apud Saxonem Grammaticum *libr. VII. Hiſtoriæ Danicæ*, occurrit *Corneus Scyphus*. Apud Ingulfum in *Charta Witlaſii*, Regis Merciorum, legatur inter alia *Cornu* poculum, quo diebus Sanctorum utendum. Verba Chartæ ſunt: *Et cornu menſæ meæ*, lego, *ut Senes monaſterii bibant inde in feſtis Sanctorum*. Ecce! Witlaſius non ſolum hactenus uſus fuerat *Cornu* in ſua menſa, quod Regibus etiam olim ſolemne fuit, prout obſervat Philoſtratus in *libro de Vita Apollonii Thyanæi*, & Caſpar Sanctius in *Comment. ad I. Sam. X.* ſed, illud ipſum *Cornu* monaſterii Senibus etiam legat, ut ex eodem *ad Sanctos biberent*. Hæc quippe conſvetudo tunc temporis obtinebat, quam & nobilitate & eruditione excellentiſſim' Caſpar Barthius in ſuis Adverſariis alicubi ab ætate S. Auguſtini accerſit. *Libr. LV. Cap. I. fol. MMDCLII.* Alias effertur: *Bibere in amore Sanctorum*. Sic apud Luitprandum in *Legatione* legimus: *Non proderit tibi balneum quo te adſidue potas in amore B. Johannis Baptiſtæ*. Sic refert Janus Delmerus

merus *ad Jus aulicum Norvvegicum vetus pag. DXXXIV.* apud Danos & Norwegos conſvetudinem viguiſſe *ad S. Olaum*, vel, *in amorem S. Olai*, in Natalitio Chriſti bibere. Diſpunctam tamen illam conſvetudinem voluerunt in Concilio Nannetenſi, prout obſervat Hincmarus Remenſis in *Capit. ad Presbyt. XIV.* Regino, Abbas Prumienſis *Cap. XXXIX.* Olaus Wormius, vir rerum Danicarum peritiſſimus, ad *Faſtos* ſuos *Danicos* vetus Chronicon citat, ex quo exemplum ejus rei in medium adduxit de Vlpho Toraldi filio. Verba Chronici ipſi citata hæc ſunt: *Vlphus Toraldi filius Eboracum divertit, & cornu, quo bibere conſvevit, vino replevit, & coram altari Deo & Petro Apoſtolorum Principi omnes terras & redditus flexis genibus propinavit.*

Nec ſilentio prætereundum, quod de natalitio Chriſti jam tum Wormius referebat. Etenim, hic ipſe vir longe doctiſſimus narrat, feſtum nativitatis *cornu* apud Danos indicari ſolitum, *quod id temporis lætitiæ & exhauriendis poculis idoneum habitum ſit.* Et ſi alias, certe eo die nocteque *cornua* pro poculis uſurparunt, quæ ad imum educere, moris fuit. Id quod inter Chriſtianos alios nec infrequens, nec inuſitatum fuit. Quod ſi enim Gregorii Nazianzeni *Orat. in Natal. Domini* evolvimus, patebit, S.

Patrem

> De Svedis Claudius Arrhenius ab Oernhielm, vir nobiliſſimus in *Hiſtoria Eccleſiaſt.* Svec. *libr.* IV. *Cap.* II. §. XIII. *pag.* CCCCVII.

Patrem in peſſimam illam conſvetudinem ſeria oratione inſurgere. Conſtantinopoli, quid ea nocte actum ſit, apud Luitprandum *libr. VI. Cap. III.* legere licet. Scilicet, mores veterum Saturnaliorum, circa hoc tempus olim celebratorum ſtrenue imitati, hunc diem non a ſanctificatione, ſed a vini ingurgitatione omnino dictum putarunt. Confer Rudolfum Hoſpinianum de *Origine Feſtorum fol. CXXXVI.*

Non Weih- ſed Wein-nacht.

Sunt qui inſtitutum *Cornua* loco poculorum uſurpandi ad Bacchum referunt, qui proinde etiam *Cornutus* dicitur. Sic Nonnum putare, ſupra vidimus. Verum, alia ſubeſt ratio. Etenim, *Cornua* ſanitati inſervire, medici pridem obſervarunt. Langius in *Epiſt. Medic. XXIX.* Thomas Bartholinus de *Medicina Danorum domeſtica Diſp. VII.* Cum hiſce faciunt Hieronymus Mercurialis *libr. I. Gymnaſticæ & libr. I. var. lect.* Cœlius Rhodiginus *libr. XXIIX. Antiq. Lect. Cap. XXVII.* Hinc *Cornua* medici uſus eſſe volebant in ſcarificationibus, in Clyſteribus aliisque ad rem medicam ſpectantibus. Vide Galenum *libr.* I. & II. de *Compoſ. Medic.* & *Libr.* XIII. *Methodi.* Guilielmum Stuckium *libr.* III. *Antiq. Conviv. Cap.* XII.

Vide notulas meas *ad Theophilum pag* 3.

Confer etiam Trogillum Arnkiel *Part.* I. *Cornu aurei Cap.* IV. *pag:* XXVI.

Verumenimvero, non eſt quod horum *Cornuum* contemplationi amplius immoremur. Series tractationis nunc poſtulat viliori

vitori CALICUM EUCHARISTICORUM materia miſſa, ad pretioſiorem eorundum digredi & paullo curatius contemplari.

CAPUT XI.
De
Calicibus Euchariſticis aureis & argenteis.

IN hujus metalli pretioſiſſimi cenſu primo omnium aurum comparet. Hoc ſicut omnia, ſic templa quoque publica paulatim irrepſit. Nec enim quisquam ignorare poteſt, quanti pretii in templo Hieroſolymitano aurum fuerit. Certe! ipſe Deus ſupellectilem ejus auream eſſe, voluit. Hinc in Pentateucho auri & vaſorum, operumque ex auro confectorum toties mentio facta legitur. Cultum divinum veteris pacti ſi quis *aureum* dixerit, non equidem! erraverit.

Quemadmodum enim templi ſtructura ipſa hinc & hinc multum auri retulit, ſic in ejusdem ſupellectili *pocula* quoque *aurea* plurima fuere. Id ex iis, quæ jam tum ſupra ex Rabbinis adduximus, & e Pentateucho eruta exhibuimus, omnino liquere puto. Confer Flav. Joſefum *libr. IIX. Antiq. Judaicarum Cap. III. fol. CCLX.* & ſequentibus. Commendatum ejus ædificium ubique

ubique eſt tam a ſacris quam profanis Scriptoribus aliis, vide R. Jehuda Leonem in *Deſcript. Templi Hieroſolym.* Dionem *libr. XL. Hiſt.*

Et quamvis gentiles humilitatis, modeſtiæ & devotionis declarandæ gratia fictilibus, ceu dictum meminimus, uti voluere, non tamen omnem auri & argenti uſum reſpuerunt. Omni enim dubio carere dixeris, in ipſorum delubris utriusque metalli pretioſioris uſum obtinuiſſe.

Sic Victimarum cornua deaurata apud gentes lego. Virgilius *libr. IX. Æneid.* ubi ſic modulatur:

Et ſtatuam ante aras auratum fronte juvencum
Candantem.

Ovidius *libr. XV. Metamorph.* canit:

Victima labe carens & præſtantiſſima forma
Siſtitur ante aras vittis, præſignis & auro.

Chriſtianorum Pindarus, Prudentius *Hymno X.* περὶ στεφάνων

Nec non & auro frons coruſcat hoſtiæ,
Setasque fulgor bractealis inficit.

Martialis *libr. IX. Epigr. XLII.*

Felix tunc ego debitorque voti.
Caſurum tibi ruſticas ad aras
Ducam cornibus aureis juvencum

Hinc apud Homerum eſt Βȣ̃ς χρυσοκέρως. Plinius *libr. XXXIII. Hiſt. Cap. III. Deorum honori in ſacris nihil aliud excogitatum eſt, quam ut auratis cornibus hoſtiæ majores duntaxat*

xat immolarentur. Confer Lilium Gregorium Gyraldum *Syntagm. XVII.* Guilielmum Stuckium de *Sacrif. fol. LXXVII.*

Neſcio, annon tutum ſit Ægyptiorum Apin, quem Aaron cum ſuis Iſraelitis imitatus videri poſſit, huc advocare. Hujus cognoſcendi deſiderio ſi quis effertur, adire poterit Johannem Seldenum de *Diis Syr. Syntagm. I. Cap. V.* Herodotum in *Thalia.* Ælianum *libr. IV. Hiſt. var. Cap. IIX.* Plinium *libr. IIX. Hiſt. Nat. Cap. XLVI.*

Chriſtianus Cicero Lactantius *libr. IV. Inſtit. Cap. X. aurei Capitis* in hoc Api totidem verbis meminit: *Ad profanos Ægyptiorum ritus animos tranſtulerunt. Quum enim Moſes Dux eorum adſcendiſſet in montem atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant Apim, quod eos ſigno præcederet, figurarunt.* Nec dubium, Iſraelitas materiæ quoque Ægyptiaci imitatores feſe præſtitiſſe. Vide *Exod. XXXII. 4. 8.* Confer Bochartum *libr. II. Hierozoici Cap. XXXIV.*

Vide doctiſſimum Johannem de *La Hay Tom. II. in Exod. fol.* DCC-XXXVII. & ſeq.

De Corona Iſidis aurea res pari modo omnis plana eſt. Hæc ut Regium inſigne in capite ejus radiaſſe dicitur. Id conſtat ex Horoapolline *libr. I. Cap. XV.* & Æliano *libr. VI. Cap. XXXVII.* Confer Pignorium in *Expoſ. Tab. Iſiacæ pag. XXIII.* Johannem Baptiſtez *innouyes pag.* LXXII. & *ſeqq.* Franciſcus Monceium Atrebatium de *Aarone purgato Cap.* XXI.

Gregorium Michaelis in *Notis ad Jacobi Gaffarelli Curioſ.*

ſtam Caſalium de *Veter. Ægypt. Ritib. Cap. XXVI.*

Quinimo, ut Judæi aurum in templi theſaurum & dotem repoſuere, prout Joſepho, aliisque obſervatum eſt, ſic gentes quoque idem feciſſe dicuntur. De Judæis id liquet ex unis Scripturæ S. locis, & ex *Macchabæorum libris*, ubi theſaurus non ſemel nuncupatur. De ethnicis nec dubium ſupereſt. Multa enim de iis fiunt obvia. Vel unum illud verbum, vulgo quod dici ſolet, teſtis fuerit: *Aurum Tholoſanum.* Vide Strabonem *libr. IV. Geograph.* Eraſmum Roterodamum in *Chiliad. X.* Templum Vpſalienſe olim ex puro fere auro fuiſſe dicitur Adamus Bremenſ. *libr. de Situ Daniæ & Reg. Sept. pag. CLII.* Olaus M. *libr. III. Rer. Sept. Cap. VI.*

De hac materia B. Ziglerus videatur de *Dote Eccleſiæ*, inſigni tractatu. Trogillus Arnkiel de *Cornu aureo P. I. Cap. VI pag. XLIII.*

Cæterum, hiſce miſſis, vaſa duntaxat contemplamur, quibus in ſacris olim quondam uſi ſunt. Perſius *Satyr. II.*

Si tibi crateras argenti incuſaque pingvi
Auro dona feram.

Et quibusdam interjectis:

Aurum vaſa Numæ &c.

Apulejus *libr. X. Metamorph.* ſic ſcribit: *Gerebat & aureum vaſculum in modum pupillæ rotundatum de quo lacte bibebat.* Recte enim Britannicus animadvertit, gentilibus perſvaſum fuiſſe, *auro Deos ſibi placatiores fieri.*

Placuit etiam Chriſtianis hoc metallum in-

in uſu ſacrorum [illegible]rum. Id liquere puto cum ex aliis, tum ex S. Ambroſii *libr. II. de Offic. Cap. XXVIII. Tom. I. Oper.* ubi theſauri eccleſiaſtici ampliſſime meminit. Conſilium quippe putat, eo captivos potius redimere, quam abſcondere, eidemq; [illegible] parcere. Laurentii exemplum allegat, de quo refert: *Quod aurum eccleſiæ maluit erogare pauperibus, quam perſequutori reſervare.* Lege, quæ hæc excipiunt.

Sed, miſſo eccleſiæ theſauro, de CALICIBUS jam EUCHARISTICIS diſpiciamus. Optatus Milevitanus *libr. VI.* inter reliqua a Donatiſtis perpetrata flagitia CALICUM quoque EUCHARISTICORUM fractionem refert. *Fregiſtis*, inquam, *Calices Chriſti ſanguinis portatores, quorum ſpecies revocaſtis in maſſas nefariis nundinis procurantes. Emerunt forſitan in uſus ſuos ſordidæ mulieres. Emerunt pagani fallaci vaſa in quibus incenderent idolis ſuis.*

Memini fuſe, hunc Optati locum a nonnullis de VITREIS CALICIBUS exponi. Verum enim vero, de illis non poſſe accipi, vel inde liquet, quod dicatur: *Eorum*, Calicum, *ſpecies revocatas eſſe in maſſas.* Hoc equidem ! de VITREO CALICE non poteſt prædicari, quum ſit materia vitrum infuſibilis, ut ad maſſam revocari poſſit. Memini quidem Romæ fuiſſe quendam virum hujus peritum, ſed ars cum artifice

Vide de hac materia etiam Johannem Mabillonium *libr. I. Liturgiæ Gallicanæ Cap. VII. pag.* LXVI. & ſeq. ubi etiam *Calicum anſatorum* meminit.

idem ſepulchrum invenit. Non ergo Optati CALICES fuere vitrei,ſed, alterius materiæ in maſſam conflabilis.

Quod vel inde in facili eſt colligere, quia portiones fractas vendiderint. Vitri vero fracti particulas eſſe venditas, ecquis crediderit? Denique illud vel inde augurari liceat, quod Pagani partes illas vendidere *ad fabricanda vaſa, in quibus idolis incenderent*. Quæ ultima verba argumento ſunt, verum omnino eſſe, quod paulo ante de vaſis gentilium aureis in medium adferebamus. Scilicet, vitra non ſunt apta nata ad ſuſtinendas prunas, in quas thura Diis ſacra injicere, moris erat.

An vero per fractos hoſce CALICES ſoli aurei, vel ſoli argentei, vel aurei & argentei ſimul intelligendi ſint, de eo nihil determinatum exſtat. Utriusque materiæ & conflationis procul omni dubio fuere, qui fractionis parem moleſtiam miſere ſubierunt. Etenim, refert Optatus Milevitanus *lib. I.* de Menſurio Epiſcopo verba cadens, quod fuerint *eccleſiæ ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terra, nec ſecum portare poterat*. Erat enim ea ætate perſequutio longe flagrantiſſima a Donatiſtarum Furiis eccleſiæ Chriſti miſere mota.

Apud Cæſarem Baronium *Tom. II. Annal. Eccleſ. ad Annum CCCIII.* in literis extant

Acta

Act. Proconſularia de Traditoribus. In hiſce inter alia hæc leguntur : *Felix Flamen perpetuus Curator dixit: Movente ratione de Lectoribus quos monſtravit officium, & vos, quod hic habetis, edite. Sedente Paulo Epiſcopo & Montano & Victore de Caſtello, Memor Presbyter, adſtante Marte cum Ælio, & Marte Diacono, proferente Marcuclio, Catulino & Silvano & Caroſio Subdiaconibus, & Januario, Marcuclio, Fructuoſo, Migine, Saturnino, Victore, Sanſerico & ceteris foſſoribus, contra ſcribente Victore Aufidi in Breve ſic: Calices aurei duo, item Calices ſex argentei &c.* Heic totidem verbis aurei ab argenteis & argentei ab aureis diſtingvuntur.

In *Actis Proconſ. ſub Martio Felice* apud eumdem Baronium *Num. XII.* hæc reperiuntur : *In brevi ſic: Calices duo aurei, item Calices ſex argentei: Urceola ſex argentea, cucumellum argenteum, lucernæ argenteæ ſeptem, cereofala duo, candelæ breves æneæ cum lucernis ſuis ſeptem.* Quæ ſatis equidem ! declarant, & aureos & argenteos Calices in eccleſia Chriſti obtinuiſſe.

Halcyoniis eccleſiæ Chriſti a tot perſequutionum turbis & fluctibus redditis, Conſtantinus M. templa a ſe ædificata & aureis & argenteis Calicibus adprime ditavit. Baronius in *Annal. Eccleſ. ad Annum CCCXXIV. Tom. III. Annal. Num. LXIII.* ex archivo Romanæ *eccleſiæ in Vaticano* [illegible],

quem Bibliothecarius depromſit, libellum producit de *Munificentia Conſtantini*, in quo hæc inter alia leguntur. *Fecit*, Conſtantinus, *candelabra ex orichalco in pedibus decem, numero quatuor, argento concluſa cum ſigillis argenteis, unde actus Apoſtolorum cernebantur, penſantia ſingula libras trecentas. Calices autem tres cum genuinis praſinis quadraginta quinque penſantes ſingulos libras duodecim.* Heic AUREOS CALICES intelligendos eſſe, e verborum ſerie non eſt equidem! obſcurum. In ſequentibus enim *Calicum argenteorum viginti* diſerte mentionem facit, *adeoque hi* poſteriores a prioribus, ratione materiæ, diſtinguuntur. Hos vero Baſilicæ S. Petri ſacros eſſe voluit.

Baſilicæ Lateranenſi inter alia dicavit *Calices minores aureos puriſſimos, quadraginta penſantes ſingulos libras ſingulas. Calices minores* [illegible] *quinquentos, penſantes ſingulos libras duas.* Baſilicæ in via Lavicana donaſſe fertur *Calices aureos tres, penſantes ſingulos libras decem cum gemmis praſinis & argenteis.*

Anaſtaſius in *Vita Silveſtri pag. XXII.* de Conſtantino M. verba faciens, hæc refert: *Conſtantinus Auguſtus fecit Baſilicam beato Laurentio martyri in via Tiburtina in agrum Veranum ſupra arenarium cryptæ & usque ad Corpus B. Laurentii martyris, in qua fecit gradum aſcenſionis & deſcenſionis. In quo loco conſtruxit abſidam, & exornavit marmoribus Porphyreticis*

pestigium & de superiori loco conclusit de argento, & camellos ex argento purissimo ornavit, qui pensant libras mille. Et poſt pauca pergit: *Donum, quod obtulit,* Conſtantinus, *patenam auream pensantem libras viginti. Patenas argenteas duas pensantes singulas libras XXX. Scyphum ex auro purissimo pensantem libras XV. Scyphos argenteos duos pensantes singulos libras X. Calices ministeriales argenteos decem pensantes singulos libras XX.* Sic Anaſtaſius.

De hisce Conſtantini calicibus & vaſculis Chriſti eccleſiæ donatis memorabile aliquod dictum in promtu eſt apud Theodoretum *libr. III. Histor. Eccleſ. Cap. XII.* Is quippe, qui ea auferre in mandatis habebat, quum eorum magnificentiam & amplitudinem cerneret, in hæc tandem erupit: Ἰδοὺ ἐν ποίοις σκεύεσιν ὑπηρετεῖται ὁ Μαρίας υἱός. *Ecce! quibus vaſis Mariæ filio ministratur?* Hæc vaſa in fiſcum publicum relata narrat idem ille, inquiens: Τὰ δὲ ἱερὰ σκεύη τοῖς βασιλικοῖς ταμείοις ὁ Τύραννος παραδοθῆναι προσέταξε. *Nam, & ſacra vaſa in publicum ærarium inferri Tyrannus præcepit.* Vbi CALICES illi etiam ſunt intelligendi, quorum ante mentio facta eſt.

Alaricus Gothorum Rex Romæ Principis Apoſtolorum Baſilicæ aurea & argentea vaſa, in quibus etiam CALICES, diripuit, ceu Paulus Oroſius *libr. VII.* commemoravit. Hujusmodi enim ſacrilegia nihili æſti-

manus ſacrarum ædium ſanctam ſupellectilem, more Pentheo, invadebant.

Quod ſi S. Ambroſii ſorulos pari modo excuſſerimus teſtimonia in iis de CALICIBUS & vaſis aureis obvia nobis fient. Etenim, *libr. I. Offic. Cap. XXVIII. Tom. I. Oper.* hæc egregia in literis exſtant: *Illa vere vaſa ſunt illa pretioſa, quæ redimunt animas a morte. Ille verus theſaurus eſt Domini, qui operatur, quod ſanguis ejus operatus eſt. Tunc vas Dominici ſanguinis agnoſco, cum in utroque videro redemtionem: ut Calix ab hoſte redimat, quos ſanguis a peccato redemit.* Et porro: *Hic numerus Captivorum, hic ordo præſtantior eſt, quam ſpecies poculorum. Huic muneri proficere debuit aurum redemtoris, ut redimeret periclitantes. Agnoſco infuſum auro ſanguinem Chriſti non ſolum irrutilaſſe, verum etiam divinæ operationis impreſſiſſe virtutem redemtionis munere.* Ex quibus patere arbitror, AUREOS CALICES in theſauro priſcæ eccleſiæ fuiſſe, id quod S. Pater verbo AURUM, toties repetito inſinuat.

Apud S. Auguſtinum *libr. III. Contra Creſconium Grammat. XXIX.* occurrunt AUREI CALICES duo. Item, *CALICES ſex ARGENTEI.* In *Enarrationibus II. in Pſalm. CXIII.* inter alia hæc exſtant: *Sed, cum & nos plerique inſtrumenta & vaſa ex hujuſmodi materia, vel metallo habeamus in uſum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata, ſancta dicuntur.* S. Chry-

S. Chryſoſtomus *Homil. LX. ad Populum Antiochenum* ſuo ſuffragio noſtræ cauſſæ pari modo præſto eſt, inquiens: *Non ſatis nobis eſſe exiſtimemus ad ſalutem, ſi viduis & pupillis expilatis AUREUM CALICEM & gemmis ornatum huic menſæ offeramus. Nec hoc conſiderentur, ut aurea vaſa duntaxat offeramus, ſed etiam ut ex juſtis laboribus.* Et denuo hiſce utitur: *Quæ enim utilitas eſt, quando ipſa menſa ſit aureis calicibus plena, ipſe vero fame intereat? Ipſum ſatura prius eſurientem & tunc ex abundantia ipſius quoque mensam orna. AUREUM facis CALICEM, non frigidæ aquæ calicem porrigis.*

Apud Cæſarem Baronium *Tom. VII. Annal. ad Annum DXX. Num. XLVI.* & ſeqq. Episcopus Conſtantinopolitanus Epiphanius ad Hormiſdam Papam non modo literas, ſed munera quoque in gratiam eccleſiæ Chriſti mittit, in quibus CALIX AUREUS. Verba ſunt ejus talia: *Judicia autem noſtræ ſecundum Chriſtum Dominum noſtrum charitatis per viros reverendiſſimos deſtinavimus, ad adminiſtrationem divinæ culturæ & ſanctæ Apoſtolicæ veſtræ eccleſiæ CALICEM AUREUM gemmis circumdatum, patenam auream & alium CALICEM ARGENTEUM, vela ſerica duo.* Hæc epiſtola majori in pretio tum hoc ſuo teſtimonio apud nos foret, niſi ex non unis indiciis conſtaret, illam eſſe ſuppoſititiam.

De Gregorio III. Anaſtaſius refert: *quod*

fecerit CALICEM AUREUM præcipuum, diverſum, ornatum lapidibus pretioſis penſantem libras XXX. Similiter & patenam auream penſantem libras XXVIII. & ſemis. Scilicet Pontifices Romani in augendis & ornandis templorum anathematibus, quanti quanti erant, toti erant. Quapropter nullis ſumtibus parcebant, ſed, liberaliter eos in divini cultus exercitium conferebant.

De Adriano idem ille apud Baronium ad *ann. DCCXXXII.* narratur, *quod in Oratorio pergulam faciens contulit dona diverſorum ſpecierum, id eſt, gabatas aureas numero duas, & alias ſaxicas, numero quinque, cruces pendentes numero quatuor, item cruces ſimiles numero decem — patenam & CALICEM AUREUM paratum a Caniſtra argentea, unum quotidianum argenteum.* Qui locus & aureos & argenteos Calices euchariſticos probat.

Agathias *libr.* II. de *Reb. Juſtin.* memoriæ prodit Gentem Alemannicam *templa expilaſſe, amulas, Calices, acerras & alia vaſa ex puro auro diripuiſſe.* Huic adſtruimus aliud teſtimonium ex Theophylacto Simocalla *libr. V. Hiſt. Cap. XIII.* ubi refert: Choſroen Perſarum Regem, utut infidelem, Sergio Martyri crucem auream & gemmatam dono dediſſe, ob victoriam ope ejus obtentam. CALICEM quoque & diſcum, & thuribulum, AUREA omnia, *ut interceſſione ejus prolem haberet a Sira Con-*

juge

regis quæ *Chriſtiana erat.* En! munificentiam ethnici Regis in Chriſtianam eccleſiam.

Centuriatores Magdeburgenſes *Cent. VII. Hiſt. Eccleſ. Cap. VI. fol. CLI. Altaria ad cœnam* Communionis, *in templis fuere exſtructa atque mirifice ornata*, & paucis interjectis: *Vaſa*, *ut* Calicem *& patenam auream paſſim habuerunt.* Beda *libr.* III. *Hiſt. Eccleſ. Cap.* II. de Paulino refert, *quod interfecto Heduino Rege Northumbrorum, Cantuam reverſus plurima vaſa aurea ad miniſterium altaris conſecrata ſecum attulerit.*

De Benedicto relatum legimus, quod duos *CALICES AUREOS*, *itemque veſtem holoſericam auro gemmiſque intertextam ad eucharistiæ uſum* [illegible], prout eſt in *libro Pontificali* & apud Sabellicum *Ennead. IX. libr. VI. fol. CLXXXI.*

Childebertus Rex *ſexaginta AUREOS CALICES* gemmis pretioſis ornatos ex Hiſpania in Galliam detulit, quos non profano, ſed ſacro uſui ſacros eſſe voluit, ceu refert Gregorius Turonenſis *libr.* III. *Hiſt. Franciæ Cap.* IX.

Et quum experientia optuma omnium magiſtra nubem teſtimoniorum inducere poſſit, res quoque omnibus pateat, iis amplius immorari, religio nobis eſto. Omnes enim omnium fere religionum eccleſiæ vel aureos, vel inauratos Calices nobis commonſtrare poſſunt, & quum ta-

lis ſint in vicinia non opus eſt eos a longinquo petere.

Vſui profano qui inſervierint, in primis apud ditiores & fortunæ excitationis, multa oſtendi poſſet, ſed paucis multa dicere, nobis equidem! placet. Svetonius in *Claudio* locum ſuggerit: *Convivæ, qui pridie ſcyphum aureum ſurripuiſſe exiſtimabatur, revocato in diem poſterum calicem fictilem appoſuit.* Julius Capitolinus in Cœna Cleopatræ *Data aurea & argentea pocula*, dicit. Confer Plinium *lib. XXXIII. Hiſtor. Cap. III.* Cicero *Orat. in Verrem* patri modo meminit *poculorum aureorum*, quibus in conviviis ſuperbiit. Plura in re luculenta & minime dubia accerſere, religio equidem! mihi eſt.

Apud Ebræos & alias gentes plures idem uſus CALICUM AUREORUM obtinuit. De Convivio Ahaſveri id liquet, in quo AUREI CALICES adhibiti fuere. *Eſther I. 7.* Salomonis menſa ab iisdem longe inſtructiſſima fuiſſe fertur, *1. Reg. XI.* Scilicet, uſus aureorum Calicum faciebat ad amplificandam magnificentiam & amplitudinem Regiam. Ecquid enim auro melius? ecquid pretioſius?

Ab Ebræis in Chriſtianorum ædes ſeſe ſenſim atque ſenſim inſinuarunt, idque ad luxum uſque, quem cum alii, tum maxime Chriſtianorum Plutarchus, Clemens Alexan-

Alexandrin' vehementiſſime reprehendit. Et hoc *libr. II. Pædag. Cap. III.* cujus lemma præfixum hoc eſt : Ὅτι οὐ χρὴ περὶ τὴν πολυτέλειαν τῶν σκευῶν ἐσπουδακέναι. *Quod in ſumptuoſam vaſorum ſupellectilem non ſit ſtudium conferendum.* Ipſam quoque tractationem S. Pater hiſce ordi[illegible]tur : Ἐκπωμάτων τοίνυν ἀργυρῶν καὶ χρυσῶν πε[illegible]ων, λιθοκολλήτων τα [illegible] ἀχρεῖος ἡ χρῆσις ὄψεως ἀπάτη μόνον. *Argenteorum itaque & aureorum gemmeorumque poculorum irritus & inutilis eſt uſus, ut quibus viſus decipiatur tantum.* Quæ deinceps præclariſſime nervoſiſſimeque perſequitur, in quibus, ſi volupe fuerit, animum paſcere licebit.

Neſcio an hoc commodum fuerit paucis attingere CORNU illud DANICUM ab Olao Wormio diligentiſſime deſcriptum. Reperit illud MDCXXXIX. puella Danica, Chriſtina Svenonis filia. Conſtare dicitur ex duplici lamina, quarum interior ſit ſolida & integra, lævis utraque ſuperficie, exterior vero non ſit continua, uti prior, ſed, ex undecim conflata contiguis quaſi latis annulis, ſuis internodiis diſtinctis. Conflatum perhibetur ex obryzo puriſſimo, rotundum & incurvum. Sunt qui putant ejus uſum in bello fuiſſe [illegible]. Alii in ſacris. Alii in Regum inaugurationibus. Alii in conviviis. Cum quibus & ego facio. Etenim, ex his, quæ ante diſſeruimus,

mus, patet, *Cornua* vices poculorum pari modo ſuſtinuiſſe.

Apud Eadmerum de *Similitudinibus S. Anſelmi Cap. XVIII.* locus aliquis in literis reperitur, qui talis eſt: *Aliquando delectat domum interius ornatam conſpicere, et in ea consonantes audire, ibidem & vinum in calicibus deauratis potare, & flores per domum ſparſos olfacere, ipſosque vel cornua aurea, vel alia tactu delectabilia contrectare.*

De ARGENTEIS CALICIBUS EUCHARISTICIS non placet peculiare aliquod Caput conficere. Ex ſuperius enim dictis ARGENTEORUM veritas luculentiſſime ſeſe ejicit. Ii enim, qui AUREIS illi plerumque ARGENTEIS quoque eccleſiam Chriſti dotarunt.

Ne tamen lectori fraudi eſſe videamur, unum & alterum in medium adducere juvabit. Prudentius *libr. II.* Περὶ στεφάνων eleganciſſimo teſtimonio cauſſam noſtram juvare novit. Hic quippe hunc in modum ſcite ac eleganter canit:

Hunc eſſe vobis Orgiis
Moremque & artem proditum eſt,
Hanc diſciplinam federis
Litent ut auro antiſtites,
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem,
Auroque nocturnis ſacris
Adſtare fixos cereos.

S. Au-

S. Auguſtinus *libr. III. adverſ. Creſcon. Grammatic.* ex quibusdam actis narrare voluit, in horrenda illa Diocletiani & Maximiani ... Chriſtianos perſequutione accidenti, inquiens: *Colonie Cu...henſis domum, in qua Chriſtiani*, peragendorum ſacrorum cauſa convenerint, *Calicibus duobus aureis & ſex argenteis ſpoliatam eſſe.*

De Conſtantino M. aliisque, tum Regibus, cum Pontificibus ex iis, quæ diſſerui... abunde conſtat, CALICES ARGENTEOS in eccleſia Chriſti frequentes fuiſſe. Hos quippe numero eidem legarunt, ceu ex libello, Vaticano qui debetur, conſtat, Cæſari Baronio in ANNALIBUS aliquoties citato.

Bartholomæus Platina in *Vita Damaſi I.* munificentiam in Chriſti eccleſiam hujus Pontificis deprædicaturus, hiſce utitur: *Baſilicam, quam ipſe in honorem D. Laurentii longe a theatro Pompejano condiderat, ornavit muneribus ornavit patena argentea librarum XX — Scypho argenteo anaglypho librarum X. Calicibus argenteis V.* In Teſtamento Kiviſi Epiſcopi Helenenſis, ex Chartulario eccleſiæ Helenenſis apud Stephanum

In hujus inſtituti tempus ſi inquiſiverimus, non erit ab inſtituto alienius. Sunt qui Vrbanum I. hujus auctorem ſalutare volunt. Is enim omnia miniſteria ſacrata argentea

Baluzium in *Adpendice ad Reginonem pag.* DCXXVI. ... eccleſiæ donata recenſentur: *C... ... capſa eburnea ... calices argentei, unus cum ... cum patena & alius ... patena & alius calix cotidianus, &c.*

argentea & patenas argenteas XXV. ordinaſſe dicitur, prout refert auctor libri *Pontificalis* ſub nomine Damaſi. Idem illud relatum exſtat apud Polydorum Virgilium *libr. VI. de Inventoribus rerum Cap. XIII.* Bartholomæum Gavantum *Part.II. Tit.I.*

Verumenimvero, doctiſſimus Cardinalis Johannes Bona *libr. I. Rer. Liturg. Cap. XXV.* huic ſententiæ haud immerito contradicit. Etenim, ſeculo fere integro, antequam Vrbanus pedum geſſit, eccleſia Chriſti, non ſolum argenteis Calicibus utebatur; ſed theſauro quoque aureo & argenteo publico jam tum gaudebat. Etenim, cum eccleſia Chriſti eo ſeculo aureo creſcebat ſimul divinus cultus. Cum cultu divino pietas. Cum pietate liberalitas & munificentia in Sponſam Chriſti eccleſiam. Hinc ipſi tanta dos, cui hæretici & tyranni, luporum inſtar, omni tempore inhiabant, nihil intentatum relinquendo, quod ad eorumdem occupationem faceret.

Et ſane! antiquiores Vrbano I. hoſce Calices fuiſſe, ex iis, quæ ſupra diſputata reperiuntur, eluceſcit. Id quod Cæſar Baronius in *Notis ad Martyrol. Rom. VII. Aug. ex Epiſtola S. Auguſtini CLXV.* pridem probatum exhibuit, quem in hoc argumento adire, integrum omnino fuerit.

Synodus Rhemenſis C. VI. hoc genus metalli

metalli CALICIBUS EUCHARISTICIS mandando præſcribit: *Calix Domini*, inquit, *cum patena, ſi non ex auro, omnino ex argento fiat. Siquis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtanneum Calicem habeat.* Confer Gratianum C. XLVII. Reginonem *libr. I. Diſcipl. Cap. LXVII.* Concilium Treburienſe idem docet, prout animadvertit Platina in *Vita Zephyrini* & Bartholomæus Gavantus *Comm. in Miſſ. Part. II. Tit. I.*

Adi etiam Stephanum Baluzium in *Notis ad Reginonem pag.* DLI. ubi de hoc loco diſſent.

Et hoc partim in decorem menſæ hujus ſacræ, cujus nitorem omni ſtudio veteres promovere ſatagebant. Partim, ut vinum retineret ſuum ſaporem, qui in æneo, plumbeo, quam facillime detrimentum capere poteſt. Partim ut omnem nauſeam communicaturis removerent, tantoque myſterio digna tantum obſervarentur.

ArgenteorumCalicum in profanis uſum non eſt quod deſcribendo amplificemus. Novimus enim eos & olim & nunc longe uſitatiſſimos fuiſſe. Id tantæ eſt certitudinis, ut *auri* & *argenti* nominibus vaſa talia venerint. Petrus Ciacconius *de Triclinio pag. XXXI. Adpellabant*, inquit, *ARGENTUM argenteum menſarum adparatum.* Virgilii auctoritatem ſuæ obſervationi prætendit, *Æneid. I.*

Ingens argentum menſis, cælataque in auro
Fortia facta Patrum.

Pro

Pro mea adpellatione advocat Scævolam in l. *Qui uxori ff. de auro & argento legato*. Confer Plinium *libr. XXXIII. Cap. XI*.

De Septentrionalium poculis vide Olaum Magn. *libr.* XIII. *Cap.* XXIV. Olaum Wormium *de Cornu aureo* & Trogillum Arnkiel, *Parte* I. *de Cornu aureo pag.* XIX.

Et quum *Cornua*, ceu vidimus, poculorum vices implerent, & hæc ut illa argentea eſſe voluerunt. Hinc Pindarus:

Ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες ἐπλάζοντο.

Et argenteis cornibus bibentes inſaniebant.

Æſchylus vocat: Ἀργυρήλατα κέρατα. *Argento ductili facta cornua.* Confer Athenæum, qui de iisdem pluribus agit.

Caput XII.

De Calicibus Euchariſticis ex cryſtallo & onyche.

NOn ſolum autem aurum & argentum, ſed alia, ab hac ſi diſceſſeris, CALICUM EUCHARISTICORUM erat pretioſior materia. Hæc CRYSTALLUS & ONYX. Ex his vel plane fuerunt confecti, vel eleganter duntaxat diſtincti. De poſteriori inſtituto commodior erit diſſerendi locus in ſequentibus, de priori in præſentia.

Scilicet, artis curioſitas non modo circa aurum & argentum, ſed gemmas quoque omnis generis occupata fuit. In eo artificii genere Bezaleel ſic verſatus fuerat, ut, ſi quis.

ſi quiſquam alius, excelleret. Hinc Moſi peritus prædicatur בחרשת אבן *In fabriſ... lapidis* prout effert S. Pagninus. Tremellius & Junius: *Et artificio gemmario* ... Vulgatus: *Marmore & gemmis.* Eruditiſſimus noſter Chriſtophorus Cartwrightus *Adnot. in h. l.* cum Sixto ab Amama hanc verſionem miratur. Nec immerito, quum in Ebræo *marmoris* non fiat mentio, nec lapidum ſtructuariorum, verum pretioſorum.

Apud Romanos fuere artifices, ceu ex Plinio abunde conſtat, qui, tum in alia materia, tum in gemmis artis ſuæ curioſa ter ſaque ſpecimina edidere. Hi ſuo nomine CAVATORES audiunt. Eſt enim *Cavare*, ſcalpere. Alias *Cælatores*, vel *Cabitarii*, vel *Cavitarii*. Confer Salmaſium ad *Vopiſcum in Saturn.* Et *Exercit. in Plinium pag. MXLVI.* De gemmis tamen in pectorali Aaronis Judæi comminiſcuntur, quod beneficio שמיר, *vermiculi* cujuſdam ſcalptæ fuerint, ut & lapides in templo Salomonis. Vide *Cholin Cap. III. Sota Cap. IX. Gittin Cap. VII.* & in *Pirke Avoth Cap. V.* Quod tamen admodum fabuloſum, nec mirum, quum ſit Judaicum. שמיר cujus mentio fit *Ezech. III. 9. Jer. XVII. 1. Zach. VII. 12.* & pluribus in locis aliis, non denotat *vermiculum*, ſed, aut [illegible], aut *lapidem duriſſimum*. Johannes Buxtorfius

K

toſſites in [illegible] *Thalmud. fol.* [illegible] שמיר exponit : *Adamas, Petra* [illegible]. Id quod [illegible] ἡλοις illuſtratum proponit Valentinus Schindlerus in *Pentaglotto* [illegible] שמיר exponit, *ſilicem, lapidem* [illegible] *indomabilem.* Scilicet, hujusmodi lapide ſcalpi poſſunt gemmæ. Smiridis etiam pulverem adhiberi ad poliendas & [illegible] gemmas, teſtantur illi, qui de gemmis & lapidibus ſcripſerunt. Et quum hic lapis vel pulvis in gemmarum expolitione a Bezaleel & Ooliab [illegible] adhibitus, [illegible] de eſt de Verme [illegible] fabula. Vide etiam *Curioſitez* [illegible] *pag. XVIII.*

Add. etiam Johannem Braunium lib. II. de *Veſtitu Ebræorum* Cap. VII. in Gemara, Cap. IX.

CRYSTALLINUS CALIX [illegible] [illegible] nata eſt. De eo locum exſtat apud Gregorium Turonenſem, quem Calicem fractum reſtituiſſe in integrum ſertur. Verba *lib. I. de Mir. Cap. XLVII.* hæc ſunt: *Etiam apud eandem*, Mediolanenſem urbem, *baſilica S. Laurentii Levitæ cujus* [illegible] *mantemus ibique admirabili pulchritudine calix cryſtallinus habebatur.* Eucharisticum vero, non alterius uſus fuiſſe, ex ſerie verborum palam & manifeſtum eſt.

Acta S. Bernuardi Epiſcopi Hildeſhei-
[illegible]

בטל
רשמיר
[illegible]
טמיר
שבו
בנרן
שרמח
בירת
המקו

Periit Sbamir. Namque ita tradentibus [illegible] *Schamir, quo* [illegible] *in conſtruendo templo.* [illegible] in ſculptura pectoralis Pontificalis שמיר [illegible] ſtiterit, in ſequentibus exponitur. Conf. [illegible] Chriſtophorum Wagenſeilium in Notis ad Excerpta Gemaræ pag. MLXXIII.

referunt, plures ab eo datos eſſe cali-
ces, inter quos unus CRYSTALLINUS
miræ induſtriæ fuerit. Baronius hunc Epi-
ſcopum ad *Ann. Chriſti MXXI. num. XIX.*
vocat *Bernardum*, & ſuum obiiſſe diem
decimum anno a nato Chriſto MXXII. Regni
Henrici XXI.

Nitori & mundiciei quum Chriſtiani
Religioſiſſimi videri vellent, talia vaſcula &
tales Calices invenerunt, a quibus & nitor
& mundicies exſpectari poſſet. In horum
cenſu quum CRYSTALLINI eſſent CA-
LICES, id eorumque etiam providerunt,
ne hi altari Domini deeſſent. Hiſce enim
nihil nitidius, nihil purius. Proinde Epi-
ſcopus ejus materiæ Calicem ſacroſanctæ
eucharistiæ uſui ſacrum omnino eſſe vo-
luit.

Quum autem CRYSTALLUS materia
eſſet, CALICIBUS apta nata, hinc factum,
ut profano uſui pari modo hujus generis ma-
teriæ cryſtallus, inſervierit. Juvenalis *Sat.
VI.*

Grandia tolluntur cryſtallina maxima rurſus
Myrrhina.

Martialis *lib. III. Epigr. LXXXII.*

Opimianum morionibus noſtris
Cryſtallinisque, murrhinisque propinat.

Et lib. IX. Epigr. LX.

Et turbata brevi queſtus cryſtallina vitro
Myrrhina ſignavit.

K 2 Alcimus

Alcimus Avitus *libr. III.*

Servabat priſcum cryſtallo algente falernum.

Apud Apulejum *libr. II. Milet. Ibi*, inquit, *cryſtallum impunctum.* Sidonius Apollinaris *libr. II. Epiſt. XIII. Inque cryſtallis calcent* [illegible] *pocula.* Seneca *libr. III. de Ira Cap. XL. Fregerat unus ex ſervis ejus cryſtallinum; rapi eum Vidius juſſit, ne vulgari periturum morte.* Et paucis interjectis: *Motus eſt novitate crudelitatis Cæſar, & illum quidem mitti & cryſtallina omnia coram ſe frangi juſſit.*

Sed, miſſis CRYSTALLINIS illis cum ſacris tum profanis CALICIBUS, ad alterius materiæ POCULA EUCHARISTICA digreſſi obſervamus, ex ONYCHE illa pariter confecta fuiſſe. In Synodo Duziacenſi, quæ in cauſſa Hincmari Laudunenſis Epiſcopi ſeculo IIX. coacta fuit, & a Baronio *Tom. IIX. Annal.* deſcribitur, inter reliqua crimina ipſi quoque objicitur furtum ONYCHINI CALICIS, quem eccleſiæ Rex donaverat. Acta ejus Synodi a Cellotio, viro longe doctiſſimo, edita *Cap. IV.* de facto illo teſtari poſſunt.

S. Bernuardus, de quo jam tum ſupra, inter alia ONYCHINUM CALICEM eccleſiæ legavit. Id quod Cardinalis Johannes Bona ex vita hujus Epiſcopi *libr. I. Rer. Liturg. Cap. XXV.* narrat, teſte auctoritate Leonis Oſtienſis *libr. III. Chronici Caſſinenſis.* Vbi relatum refert, Victorem

III.

III. inter alia ornamenta duos ONYCHINOS CALICES reliquiſſe.

ONYCHIS uſus profanus quoque animadvertitur. Pocula quippe ex *Onyche* confecta in veterum ſcriptis reperio. Horatius *lib. IV. Od. XII.*

Nardi parvus Onyx.

Catullus *Epigr. LXIV.*

Quam jucunda mihi [illegible] *Onyx,*

[illegible] *Onyx* [illegible] *quæ* [illegible]

Ex Ælio Lampridio in *Vita Heliogabali* idem conſtat. Ibi enim Imperator dicitur uſus Onyche loco matulæ. Et ὄνυχα [illegible] apud Athenæum. Et *Vaſa Onychina* apud alios quoque reperire licet.

Guibertus vir doctiſſimus de *Murrhinis*, putat, *Onychem* fuiſſe *murrhinum*, quæ elegantium vaſculorum materia fuit, quorum paſſim in Scriptis Romanorum facta eſt mentio. Vide Senecam *Epiſt. CXXIII. lib. VII. de Benef. Cap. IX.* Plinium *lib. XXXVII. Hiſt. Nat. Cap. II.* Martialem *lib. III. Epigr. XXVI.* Bulengerum *lib. IV. de Conviviis Cap. XIII.* Gvidonem Pancirollum ad *Titul. rer. deperdit. Tit. VII.* Matthæum Raderum *Comment. ad Mart. lib. III. Epigr. LXXXII.* Hieronymum Cardanum *lib. V. de Subtil.* Guilielmum Stuckium *lib. III. Antiq. Conviv. Cap.* XII.

Verumenimvero, fallit vir doctrina alias excellentiſſimus. Veteribus enim aliud

eſt murrhina, aliud vero Onyx. Hæc differentia, ſicut ex aliis pluribus, ſic in primis ex Ælio Lampridio, in *Vita Heliogabali* elu- ceſcit. Illi enim *Onyx* & *murrhina* totidem verbis diſtinguuntur. *In murrhinis*, inquit, *& onychinis minxit*. Proinde Jacobus [illegible]ſerus *lib. de vino murrhino Cap. XVI.* Guibertum, ut poteſt maxime, confutat.

Gentiles inter alia vaſa ſacrificalia etiam ea adhibuere, quæ ſacra *Capedines*. Magnum illud vas, quod in manibus ſereniſſimi cujuſdam Domus in Germania eſt, & in ejuſdem museo reconditum reperitur, inter alia teſtari poterit. Hujus figuram, quum Germaniam tranſiremus, in diarium meum relata eſt.

Forſan Dn. Ferdinandi Alberti [illegible]

Sed, revertentibus e delubris ad templa Chriſtiana CALICESque EUCHARISTICOS contemplantibus SARDONYX ſeſe objicit. Ex hac Sugerius Abbas CALICEM confectum altari ſacro exhibuit, de quo Cardinalis Bona ſic loquitur *lib. I. Rer. Liturg. Cap. XXV. Similis lapide Onychino ex Sardonyce, ex qua genuina Sugerius Abbas ſecularis Operis CALICEM pretioſum comparaſſe ait in libro de geſtis ſuis, cum regnum adminiſtrabat.*

Scilicet, *[illegible] magna ſemper fruſta ut pocula inde [illegible] poſſint*, ſcribit Anhelmus

[illegible] in Tractatu [illegible] Lipſienſes anno LXXXII. [illegible]

Anſelmus Boethius de Boot *lib. III. de Gemmis Cap. LXXXI.* De ea gemma Martialis *lib. XI. Epigr. XXIIX.*

[illegible] ne librum [illegible] poſſit [illegible]
[illegible] virides gemmas, Sardonychasque pares.

Cujusmodi pocula in pretio fuerunt, prout hiſtoria Romana patefacere poteſt.

Hodie tamen ab eccleſiis noſtris exſulare omnino jubentur. Interim Romana eccleſia in pompam prona & proclivis, non modo ex auro & argento, ſed ex gemmis quoque admiſit, idque cum Hurtado, Fagundez & Bartholomæo Gavanto, ſed tamen hac lege, *ut gemmæ atque pretioſa ſit a [illegible] , [illegible]* *[illegible]*. Vid. Toletum in *Summa Caſuum lib. II. Cap. XIII.* Hermann' Buſenbaum in *Medulla Theologiæ Moralis* lib. VI. Tract. III. Cap. III. Dub. III pag. DCXXVII. & ſeq.

Caput XIII.

De Calicum Euchariſticorum Quantitate.

QUandoquidem vero ex materia reſultat rei cujusdam quantitas, hic ex materia poculorum eadem ſeſe ejicit, eandemque preſſo quaſi pede ſequitur. Hanc igitur contemplari, ordinis ratio omnino poſtulat. Sunt autem CALI-

CUM alii magni, alii mediocres, alii parvi. Alii lati, alii arcti fuere, prout artifici commodum viſum fuit. Ex qua deinde forma & pretium maximam partem dependet.

Etenim, quemadmodum cum profanis, ſic res ſeſe quoque habuit cum CALICIBUS EUCHARISTICIS. Alii quippe eorum fuere ampli, alii parvi, alii mediocres. Id ex Hiſtoria S. eccleſiaſtica manifeſto adparet.

De poculo quod in noviſſima Cœna optimus mundi Redemtor adhibuit, Beda retulit, quod *caperet ſextarii Gallici menſuram*, de quo tamen, tacente ſcriptura, nihil certi definire poſſumus. Ebræorum pocula, quum capaciora & ampliora eſſent, ceu Guilielmus Stuckius *libr. III. de Antiquo Convivandi Ritu Cap. XII.* obſervat, unicuique ſuus hauſtus in eo relictus fuerit, non eſt quod dubitemus.

Sed, quid vetat Ebræorum pocula paullo penitius inſpicere? Non quidem omnia, ſed in Paſchali cœna uſurpata. In *Maſſ. Schabb. fol. XI. Column. I.* ארבעה כוסות שאמרו ישנן רביעית יין באיטלקי: *Quatuor pocula, ut dixerunt veteres, continent quartam vini Italicam.* In *Maſſ. Peſachim* hæc reperiuntur *fol. CIX. Col. I.* אמר רב חסדא רביעית של תורה אצבעים על אצבעים ברום אצבעים וחצי אצבע וחומש אצבע: *Ait Rabbi Chaſdba: Quartam legis duorum digitorum*

[illegible], digiti in profunditate, & digiti & [illegible] partis digiti. R. Mordechai in *II. Parte libri* [illegible] לברשים *fol. CLXI col. IV.* ושיעור כוס רביעית *Mensura poculi est quartana.* [illegible] negat tamen dari etiam דכוס גדול ויש בו הרבה *Poculum majus plures continens* [illegible].

[illegible]! ſic ſatis amplum fuerit, [illegible] [illegible] ex eo non [illegible]uxerint, ſed biberint. Etenim, non invenio præter unum adhibitos fuiſſe calices. Hic enim dicitur in numero ſimplici ποτήριον, prout ſupra pridem diximus. [illegible] ætate idem uſu receptum conſtat in Corinthiaca eccleſia. [illegible] dicitur: in numero [illegible] [illegible] Etenim [illegible] ſic etiam ἐν ποτήριον in [illegible] obtinuit. *Quoniam UNUS panis,* inquit, *Apoſtolus, multi unum corpus ſumus. Omnes enim ex uno pane* [illegible]. Johannes D[illegible]us noſter *lib. III.* [illegible] *XX*[illegible]. Apoſtoli [illegible] [illegible] hæc ſubjungit: [illegible] *ac præclara ratiocinatio, niſi id,* [illegible] *obſcurum, conſtituamus* [illegible] *particulas ex menſa Domini*[illegible] [illegible] *diſtribui apud* [illegible] [illegible], Apoſtolus, omnes nos, qui participamus de uno pane, [illegible]

Cardinalis M. Vigerius in *Decachordo* VII. *Cap.* XXVIII. *pag.* CXCIX. [illegible] *ut de illo* [illegible] *homines bibere* [illegible]

[illegible] *quisque* [illegible] *& synaxin* [illegible] [illegible] *nullâ tum erat apud Christianos* [illegible] *, ex qua unus de hoc, alius de alio* [illegible] *participaret. Vt una erat mensa, ita &* [illegible] *panis.*

Id quod S. Patres etiam confirmant, dum referunt, fractum in uſu [illegible] ἄρτον, *Vnum panem.* S. Ignatius [illegible] *Epheſ.* & in *Epiſtola ad Philadelph.* [illegible] Quin imo, [illegible] ποτηρίου ſicut ἑνὸς ἄρτου mentionem facit diſertiſſimam. Dionyſius Areopagita in *Hier.* [illegible] [illegible] τῆ τοῦ ἑνὸς καὶ τοῦ [illegible] ἄρτου καὶ ποτηρίου [illegible] καὶ εἰρηνικὰ [illegible] , [illegible] θεον, ὡς [illegible] *us* [illegible] *, tum calicis communis & pacifica participatio divinam iis morum conformitatem,* [illegible] *praeſcribit.* E[illegible] XII. τ[illegible] κατα[illegible] [illegible] καὶ [illegible] *Poculum UNICUM omnibus impertitum,* [illegible] *ſymbolice multiplicat & diſtribuit.* Pluribus locis parcimus.

Quantumvis autem Apoſtoli & viri Apoſtolici, CALICIS EUCHARISTICI cum Chriſti, tum eccleſiæ Corinthiacæ meminerint, non tamen eos ſecundum affectiones & accidentia deſcribunt, prout nullibi invenimus. Sufficere omnino putant in genere τοῦ ποτηρίου mentionem feciſſe, adeoque difficile eſt de ejuſcemodi poculorum

calicum euchariſticorum accidentibus quidquam certi determinare.

Etiamſi vero ab initio eccleſiæ Chriſtianæ CALICES EUCHARISTICI exiguo & parvo ejus membrorum numero, non adeo ampli & magni fuerint; creſcente tamen numero Chriſtianorum, quia calices quoad earumdem quantitatem creverint, non eſt mirum. Vno enim [illegible] [illegible], ceu vidimus, in altari ſunt uſi. Proinde Juſtinus martyr *Apolog. II.* aliquoties & *calicis* mentionem facit, in numero ſingulari, quem alii ſequuntur.

Seculo a nato Chriſto III. CALICUM EUCHARISTICORUM quantitatem aliqua in ſeculo facta reperitur, modo libellus, quem Baronius *Tom. III. Annal. ad Annum Chriſti CCCXXIV. num. CIV.* producit, ſuppoſitionis ſuſpicione vacet. Scilicet, dicitur Conſtantinus M. in eo Baſilicæ S. Crucis dono dediſſe *Calices miniſteriales argenteos decem penſantes ſingulos libras duas.* Qui ſane! eximiæ quantitatis & amplitudinis fuerint, quum *libras duas*, quas ſinguli penſarunt, ſufficienter arguunt. Baſilicæ Lavicanæ ibidem donaſſe fertur *num. CXIV. Calices argenteos tres, penſantes ſingulos libras X. item gemmis prætioſis & hyacinthis — Calices miniſteriales argenteos viginti, penſantes ſingulos libras ſex.* Plura ex hoc libello, a Baronio in ſuos Annales relato, advocare poſſem, ſed

fides

fides ejus mihi perquam ſuſpecta eſt. Quæ ſuſpicio, vel ex memoria adpellationis *Calicum miniſterialium* mihi ſuboritur, quæ eo ſeculo nondum locum inveniebat, ſed, temporis progreſſu, quum Clerus ad majus culmen & faſtigium auctoritatibus Pontificum adſcendiſſet, de quo ſuo loco, in illud nomen adſumebatur.

Anaſtaſius in *Vita Innocentii I.* memorat, quod *inter alia Calices argenteos quinque penſantes ſingulos libras tres* eccleſiæ Chriſti legaverit. Innocentii I. ætas vero incidit in Seculum V. Ex librarum quantitate de quantitate Calicum nullo negotio judicium fieri poteſt, ceu quivis, vel me tacente, intelligere poteſt.

Cum ætatibus ſequioribus CALICES quoque EUCHARISTICI creviſſe videntur. Hiſtoria quippe ſequiorum ætatum eccleſiaſtica tantæ quantitatis CALICES illos fuiſſe refert, ut ei uſui vix ac ne vix quidem inſerviiſſe putari poſſint.

Teſtem in hoc advocare habemus Conradum Epiſcopum in *Chronico Moguntino* ubi eorum quantitate propoſita, *anſas* patefacit *binas, quæ levantis manus potuerint replere*. Veſtigia eorumdem Moguntiæ adhuc ſuperſunt, ex quibus de quantitate eorum judicium fieri poteſt. Nec ſolum Moguntiæ, verum in aliis ejusdem Electoratus locis pluribus, quos videre contigit noſtratibus,

ſitam, qui Germaniam adeundo ex Mœno liberum. Ipſus aliquando Franciſci ſolemnibus præſens Statworbix, in Eichsfeldio tractu ſito in maximo populi confluxu circa ſacra utentis ampliſſimos anſatosque CALICES vidi.

In profanis ſcriptis, ceu brevi poſt viſuri ſumus, ampli CALICES pari modo adparent. Sed telam cœptam perſequuturi, Chriſtianorum contemplationi immoramur. Anaſtaſius in *Vita Leonis* III. de Calice M. refert, *quod obtulerit Calicem majorem cum gemmis & anſis duabus penſantem libras LVIII.* Hæ equidem! libræ ſummam & notabilem amplitudinem Calicis conficiunt & repræſentant.

In ejuſdem *Leonis III. Vita* Calicis fit mentio *cum gemmis & anſis duabus penſantis libras XXXVI.* In *Vita Gregorii III.* alium Calicem ſiſtit *libræ XXXIV.* In *Leone IV.* quoque calices recenſet, quorum libræ ad CCLXVII. ſeſe porrigunt. Idem quoq; facit in *Vita Paſchalis I.* qui omnes ſimul ſumti confecerunt libras CCLXXXI.

Huc pertinent CALICES MINISTERIALES. Horum ſœpiſſime in veterum monumentis mentio occurrit. Anaſtaſius in *Vita Silveſtri* eos producit, inquiens: *Calices miniſteriales V. penſ. ſinguli libras II.* Et denuo: *Calices aureos miniſteriales L. penſantes ſinguli libras binas.* In *Vita S. Hila-*

rii

in prædicatur, quod [illegible] *Calices* [illegible] *tes* [illegible] *XII.* [illegible] Quæ data occaſione in citatis ſupra [illegible] mentis de *Calicibus miniſterialibus* in medium adlata ſunt, repetere nolumus.

Hiſce comitem ire jubemus Wilhelmum Lindanum in *Panoplia Evangelica lib. IV. Cap. LVI.* ubi *Calicis* meminit à S. Bonifacio uſurpati, qui admodum exiguus fuiſſe perhibetur. Hauſit vero relationis ſuæ argumentum ex Reginone Abbate Prumienſi de *Diſciplina veterum* & Alberto Cranzio in *Metropoli*. Sed, miſſis horum, Lindani duntaxat [illegible]. *Is autem Calix Bonifacii, admodum exiguus eſt* & [illegible] *hodie Calicibus quarta ex parte æquandus, nam altitudine vix* [illegible] & [illegible] *tam eſt anguſtum, ut* [illegible] *Sacerdotis* [illegible]. Hoc S. martyrem peculiariter uſum eſſe, Lindanus credit. Nec [illegible]. Fortaſſe in itinere, in quo ejuscemodi Calicibus inſtructi proficiſcebantur. Centuriatores Magdeburgenſes Cent. *VII. Cap.* [illegible] *Cap. V.* ex Beda de Evaldo Albo ac Nigro referunt, *quod in* [illegible] *altare* [illegible], [illegible] *ſecum tulerint.* Ex Statutis quoque legitur, *ut Presbyteri* [illegible] *ſacro chriſmate & oleo benedicto &* [illegible] *proficiſcantur, ut ad* [illegible] *ſuum ſtatim inveniantur parati.* Quod Statutum

tutum S. Bonifacio Archi-Epiſcopo Moguntino tribuitur in *Spicilegio Tom. IX. de Acherii*. Lindanus autem putat *de alio*, cujus meminit, *poculo argenteo quod ibidem viſum, poculo myſteria eſſe communicata*.

Ex quo Lindani loco duo in primis ſunt diſcenda. Alterum, Communionem ſub utraque in eccleſia Chriſti, utpote optumi Servatoris inſtitutioni ex aſſe reſpondentem, ad hunc ſeculi tractum, & eo amplius obtinuiſſe. Id quod alias Papæ Romani cultores proterve negant.

Alterum eſt ficta differentia inter *Communionem Clericalem* & *Laicalem*. Quaſi Laici ex alio, ex alio vero Clerici calice biberint. Certe! olim non ſic erat. Sed, poſtquam Cleri dignitas paullo celſiores gradus petiit, hæc differentia inter Communionem *Laicalem* & *Clericalem* cœpit. Laicali ergo uſui inſervientes *miniſteriales* dici cœpiſſe, dicuntur.

Hæc vero duo Calicum genera Pontificios ſacrilegii poſtulant. Nam, dum *Calices miniſteriales* plebi porrectos adſerunt, non poſſunt non adſerere Laicorum ſub utraque Communionem, quam adverſarii hodie tam acerrime propugnant. Quod argumentum noſter Johannes Dallæus in *de Cultibus Latinorum religioſis libr. V. Cap. XV.* etiam atque etiam urget, nec poteſt inficias ire Wilhelmus Lindanus *libr. IV. Panopliæ*

plus *Cap. CVI.* Caſſander *Epiſt. XIX* & alii plures, id ipſum concedere tenentur.

Deinde, ut aliud quaſi agendo, animadvertam, hæc *Calicum* diſtinctio opinioni de Laica Communione jugulum præſcindit. Etenim, hanc ab illa ſpecie differre, omnino putant. Differentiam vero in eo conſtituunt, quod detracto calice, ſub una duntaxat, communicarint. Quamobrem etiam Communionem illam Laicam pro ſua de Communione ſub una ſententia ſtabilienda, urgere ſolent. In his eſt Robertus Bellarminus *libr. IV. de Sacroſancta Euchariſtia*, aliique plures.

Verumenimvero, hunc & illos CALICES MINISTERIALES, quos modo recenſemus, confutant. Tam Clericis enim quam Laicis CALICES in ſacroſancta eucharistia ſunt exhibiti. Et Laicis non minus, quam Clericis, CALIX CONSECRATUS porrectus eſt, ad exemplum optimi Servatoris & primitivæ eccleſiæ Christi inſtitutionis longe obſervantiſſimæ.

Quamobrem etiam alii inter Pontificios rem recta ſecum via perpendentes tantam differentiam, vel differentiæ modum, negant. In hiſce Johannes Lorinus *Comment. II. 42. Re vera,* inquit, *diſtinctio Communionis Clericalis & Laicæ non in ſpecie utraque & una eſſe videtur.* Et ipſe aliquoties citatus Lindanus

dani Panopliæ lib. II. Cap. LIIX. *Laicam communionem ſunt qui exiſtimant fuiſſe S. euchariſtiæ ſub una panis ſpecie communionem. Quod quam ſit a veritate alienum, mecum agnoſcet quiſquis, qui priſcæ conſvetudinis ſedulus inveſtigator conſideraverit, laicam Communionem tunc ad ſui populi in uſu fuiſſe, quum paſſim priſco de more utraque Communionis ſpecies & panis & Calicis inibi exhibebatur eccleſiæ.* Hoc fuſius expoſitum reperitur apud Gabrielem Albaſpinæum *lib. I. Obſerv. Cap. IV.*

Ecquid vero Communio *Laica* fuerit, non opus eſt fuſiori expoſitione. Quod ſi eam penitius cognoſcere volupe fuerit, adire licebit Severinum Binium & Franciſcum Longum a Coriolano *Annotat. in Canon. XXXI. Concil. Bracarenſ. I.* Johannem Stephanum Durantum *lib. II. de Ritib. Eccleſiæ Catholicæ Cap. LI.* Jacobum Pamelium *Annotat. ad Cypriani Epiſt. LII.* alioſque plures, qui eam nobis deſcripſerunt.

Ut vero argumenti vim pro Communione ſub utraque enervent, quod ab hiſce CALICIBUS MINISTERIALIBUS deſumtum illis objicitur, nonnemo recentiorum Scriptorum non infimi ſane! ſubſellii, perſuadere nobis ſatagit, hoſce CALICES MINISTERIALES fuiſſe POCULA ABLUTIONIS, quæ vocant, qualia populo, ſeu mixta pluribus differetur, porriguntur.

Verum enimvero hoc ipſum everto ad-

prime laborat. Etenim, *poculum ablutionis* inventum eſt recentiſſimum, ceu ſuo loco dicetur, de quo ſeculo Remigii quod IX. erat, nondum conſtabat. Proinde habeat hanc ſuam opinionem, ad noſtrum palatum illa haut quaquam eſſe poteſt. Novimus enim rectius quid ſint MINISTERIALES CALICES & unde illi dicantur. Scilicet, *Miniſterium*, vel *miniſteria* ſcriptoribus ævi ſequioris ſunt *vaſa ſacra*, & ea pretioſiſſima. Quo verbo ſæpiſſime utitur Gregorius Turonenſis *libr. III. Hiſtor. Cap. X.* & *libr. II. de Gloria martyrum Cap. VII.* ubi refert Burgundiones in Brivatenſem vicum irruiſſe & inde diſceſſiſſe *direpto miniſterio ſacroſancto.* Sic Epiſcopus Arelatenſis apud Gregorium ait *libr. VII. Non credo contrarium eſſe Deo de miniſterio ſuo redemtionem dari, qui ſe ipſum pro hominis redemtione dedit.* Heic MINISTERIUM eſt ſupellex ſacra cœnæ Domini inſerviens. Apud Alcimum Avitum *Epiſtola VI. ad Victor. Epiſcop.* pari modo occurrit. *De miniſteriis hæreticorum quæ illis ſacra nobis exſecrabilia judicantur, vel eſt, patenis pateriſque quia quid cenſeam perinde me ſcribere juſſiſti.* Sic Gregorius *libro de Gloria Confeſſ. Cap. XXII.* Maximi Abbatis geſta enarrans inter alia ſic ſcribit:

Confer Victorem Vticenſem, *libr.* I. de *Perſeq. Vandal* & in *Concilio Valent.* III. *Cap.* X. Avitum Viennenſem *Epiſt.* VI. Fortunatum *libr.* I. *Carm.* XV. Balduinum in *Obſerv ad Optat. Milevitanum pag.* LXXXVII. Carolum du Freſne in *Gloſſario Mediæ Latin. fol.* DLXI.

ſcribit: *Denique quum Ararim fluvium tranſi-re cuperet, nave impleta demergitur, ac ipſe Sacerdos pelago operitur, habens ad collum cum Evangeliorum libro* Miniſterium quotidianum, *id eſt, patenulam parvam cum Calice.*

Hinc adparet, quinam CALICES MINISTERIALES? nimirum illi, qui miniſterio ſacroſanctæ euchariſtiæ inſerviebant, præſertim in magna populi communicaturi præſentia & frequentia. Proinde *Miniſterium* etiam uſurpatur pro menſa, in qua CALICES EUCHARISTICI propter altare repoſiti fuere. Sed, quid juvat hiſce diutius immorari? Ad aliorum contemplationem digrediamur oportet.

Hi ſunt CALICES OBFERTORII. Hi, quamcumvis non fuere EUCHARISTICI, ſuo modo tamen ad Euchariſtiam ſpectarunt. Amalricus, Scriptor Vrbani V. ætate celebris, eo utitur verbo in *Eclogis de Officio Miſſæ* inquiens: *Poſt lectum Evangelium venit Subdiaconus ferens in brachio ſiniſtro calicem, in quo recipiuntur amulæ populorum & ſuper Calicem corporale, quod accipiens Diaconus ponit ſuper altare, ſimiliter calicem poſt receptas amulas.* Ex quo loco adparet, quinam fuerint & cujus uſus gratia adhibiti ſint? Inprimis vero de eorum quantitate judicium fieri poterit.

Profani CALICES, ut & hoſce paucis

contemplemur, ſua amplitudine inſignes fuere. Hinc Athenæo *libr. XI. Dipnoſoph.* poculum amplum audit: Φρέαρ ἀργυροῦν, *Puteus argenteus.* Guilielmus Stuckius *libr. III. Antiq. Conviv.* dici putat: *Carcheſia* occurrit apud Virgilium *libr. I. Æneid.*

Hic duo rite mero libans Carcheſia Baccho

Athenæus dl. καρχήσιον ποτήριόν ἐστιν ἐπιμήκες συνηγμένον εἰς μέσον ἐπιεικῶς, ὦτα ἔχον μέχρι τοῦ πυθμένος καθήκοντα. Macrobius *libr. V. Saturn. Cap. XXI.* deſcribit, quod ſit poculum *procerum & circa medium partem compreſſum, anſatum mediocriter, anſis a ſummo ad infimum pertinentibus* &c. Confer Beroaldum in *Apulei Aſinum aureum libr. XI.* Fridericum Taubmannum in *Amphitruone Act. I. Scen. III.*

Euſtathius ιλ & Cœlius Rhodiginus *libr. XV. Cap. VI.* talia pocula ampliſſima vocat Πα[illegible]α. Homero dicuntur Κύπελλα, unde κυπελλοχαίρειν. *Ebrioſus*, qui poculis amplis gaudet. Horum uſu in primis delectati dicuntur Græcorum proceres, prout ex Homero, Cointo Smyrnæo, aliisque Græcis abunde conſtat.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Calicum Euchariſticorum Forma.

QUemadmodum vero CALICUM EUCHARISTICORUM non una eademque fuit materia, ſed, varia plane & diſtincta, ſic nec eorumdem FORMA. Etenim, alii hanc alii aliam formam retulerunt.

Scriptura quidem ſacra nullam earum nobis exhibet, ſed eam inſtar ſupellectilis ſanctæ veteris fœderis ſilentii peplo ſanctiſſime involvit. Sufficere mentionem τοῦ *ποτηρίου* putat. Cujus vel materiæ, vel formæ ſit, de eo omnem depoſuiſſe curam videtur. Supponit enim, ſuo more, quæ cotidiani uſus ſunt, non eſſe ignota.

Sanctiſſimi Patres ſubſequutis ætatibus & Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum veſtigia in eo quam fideliſſime preſſerunt. Quantum vero augurari liceat, non raro fuere *nudis* inſtructi.

De CALICE quo Chriſtus in cœna noviſſima uſus dicitur, *cum binis anſis* a Beda, ceu vidimus, deſcribitur. *Qui ARGENTEUS CALIX*, inquit, *hinc inde duas habens anſulas Sextarii Gallici menſuram capit.* Quod ſi

hic Bedæ genuinus ſit, aut ad minimum archetypi formam referat, Petrus Ciacconius in de *Triclinio pag XCIIX.* Jacobus Philippus Thomaſius de *Teſſeris Hoſpitalit. Cap. XIX* erraverint. Calices enim illi ſine anſis adparent. Quamvis nec aliis in hac figura obviis fidem adhibeam, ſed temeritati manuum pictoris multa condonem.

Sed, nihilominus, quos Carolus M. legavit, habuiſſe dicuntur *duas anſas*, ceu Anaſtaſius obſervat in *Vita Leonis III.* ubi aliorum ejusdem formæ meminit.

In Aredii Abbatis Alanenſis teſtamento hæc reperiuntur, *quod unusquisque locus ſanctus conſtitutus ibi habeat miniſterium declaratum, recte duximus inſerendum, id eſt, turres quatuor coopertoriens holoſericos tres, calices argenteus quatuor, ex quibus duo anſati comparati ſolidis XXX. Alius ſolidis XVI.* &c.

Adamnanus de *Locis SS. libr. I. Cap. IIX.* idem quod Beda, de Calice Chriſti euchariſtico narrat. *Inter illam quoque Golgathanam Baſilicam & Martyrium, quædam ineſt exædra, in qua eſt Calix Dominicus, quem a ſe benedictum propria manu in Cœna pridie, quam pateretur ipſe conviva Apoſtolis tradidit convivantibus, qui argenteus calix ſextarii Gallici menſuram habens duasque anſulas in ſe ex utraque parte altrinſecus continens compoſitas.*

Chroni-

[v] Ἀμφωτον vocat ex Origine, Johannes Hornbeckius *libr* I. *Diſput. Miſcellan. Cap.* XIX *pag.* DLIV. Confer Montacutium *Origin. Eccleſ. Part. Poſter. pag.* CCCLXVI.

Chronicon Moguntinum *f. CCCLXXXIV.* ejus formæ calicem pari modo advocat, inquiens: *Calix major quot marcas habuerit, &c. Certum autem eſt, quod ſpiſſitudo ejus erat digiti, habebat autem idem calix duas anſas, quæ poterant manus ſupplere levantis, ſicut ſolent habere mortarii in quibus piperata & ſalſa præparantur.*

Ordo Romanus, quemcunque demum habeat auctorem, *Cap. de Offic. Miſſæ* anſulas iſtas, de quibus modo loquimur, monſtrat. *Levat*, inquit, *Archidiaconus Calicem per anſas & tenet exaltans illum juxta Pontificem.*

Doctiſſimus Cardinalis Johannes Bona *lib. I. Rer. Liturg. Cap. XXV.* hac obſervatione hoc noſtrum argumentum juvat: *Obſervandum*, inquit, *non ſolum majores, qui ad ornatum erant, ſed alios etiam ad uſum ſacrificii anſatos olim fuiſſe.*

Sexcenta alia in medium proſtant exempla apud Anaſtaſium, Baronium, Turonenſem & alios, quorum forulos adpellare non eſt neceſſe. Moguntiæ & alibi locorum cum in Germania, tum in Italia ultro citroque viſuntur, ceu illi conſtat, qui ſub alieno ſole aliquantiſper caluerit.

In cauſſam ejuſcemodi anſularum inquirere non eſt hujus loci. Inferius veniet ejus occaſio. Sufficit in præſentia occupari circa τὸ ὅτι. Quod διότι attinet deinceps expo-

ſicuri ſumus. Hoc enim illud præſupponit & ſuam quaſi dependentiam in ordine naturæ agnoſcit.

Profani *Calices* cum ejuſcemodi anſulis ultro citroque adparent. Pollux *libr. VI. Onomaſtici Cap. XVII.* Ἀμφίθετον δὲ φιάλην, ὡς Ὅμηρος καὶ χρύσεον ἀμφωτον ἀπὸ τῶν σχημάτων, τὸ δὲ μόνωτον κοτυλίσκος ὠνομάζετο. *Phialam vero ancipitem & aureum poculum utrinque anſatum, Homerus a forma appellat, ſed, unicam anſam habens,* cotyliſcus *nominabatur.*

Cicero *Actione IV in Verrem* illud teſtimonium accerſit. *Expoſuit, inquit,* Verres, *non pauca pocula ex auro, quæ, ut mos eſt, Regibus, & maxume in Syria, gemmis erant diſtincta clariſſimis. Erat autem vas vinarium ex una gemma prægrandi, trulla excavata, manubrio aureo.* Hoc *manubrium aureum* eſt anſa a qua vinarium illud inſtructum fuit.

Virgilius *Ecloga VI.* ſic modulatur:

Serta procul tantum capiti delapſa jacebant,
Et gravis adtrita pendebat cantharus anſa.

Plinio *Libr. XXXVI. Cap. XXVI.* audiunt *Calices pteroti.* Verba ejus ſunt: *Sed, quod refert Neronis principatu reperta vita arte, quæ modicos calices duos, quos adpellabant pterotos. HS. ſex millibus venderet.* Dicuntur autem *pteroti* a πτερὸν, *ala,* quaſi diceres: *Calices alati.*

Non anſulati autem duntaxat fuere, ſed etiam

etiam AURITI. Penes me eſt *MS. Chronicon* vetuſtiſſimum, in quo memoriæ proditum eſt, quod Otto II. Imperator, beneficii in ſe collati haut immemor, liberatus e manibus hoſtium calices aureos quinque cum auriculis S. Petro ſacros eſſe voluit. *Romam igitur æger decumbens delatus, de voto Deo pro liberatione e manibus Agarenorum cogitavit, & quinque calices aureos cum auriculis eligantibus eccleſiæ Chriſti obferri juſſit.*

Hujus formæ meminit Cardinalis Bona *libr. I. Rer. Liturg. Cap. XXV.* ex *Chronico Belgico magno.* Talem Henricus Imperator Eccleſiæ S. Laurentii obtuliſſe fertur. In nonnullis monaſteriis Belgicis ejusdem formæ calicum copia, vel adhuc hodie, videri poteſt. Veneti quoque & alii populi antiquitatum ſtudioſorum deſiderio ſatisfacere poſſunt eorumdem oſtenſione promtiſſima.

Hoc ſaltim animadvertere liceat; gentiles Calicibus & vaſculis ſuis ſacrificalibus auriculas tales adpoſuiſſe. Hoc videre eſt apud doctiſſimum Choulium aliosque rerum ſacrificaliū peritos. Profani uſus eadem forma quoq; obſervantur. Vide Thomam Demſterum a Mureſck *Paralip. ad libr. V. Joh. Roſini Cap. XXX.* Athenæus *libr. XI.* talem Calicem CISSIBIUM vocat. Macrobius *libr. V. Saturn. Cap. XXI.*

Qua vero forma calices plerumque fuerint, jam tum ſupra inſinuare viſum fuit.

Hoc tamen in primis obſervatum deprehendimus, CALICES EUCHARISTICOS quod ad pedunculos, ita eſſe effictos & efformatos, ut a facilioris lapſus periculo longius abeſſe videantur. Eorum plures Romæ viſuntur, quos ænea tabula, modo id ageretur, quam facillime ſiſtere poſſet.

Anaſtaſius in *Leone III.* refert, ipſum S. Petro aureum Calicem dediſſe *tetragonum*. Calix ille eſt euchariſticus. Forma TETRAGONA eſt perfectiſſima & conſtantiſſima, prout ex Ariſtotele quoque liquet.

Scilicet, id veteres primitivæ eccleſiæ Chriſtiani etiam atque etiam providebant, ne vel ſymbola temere haberentur, ſed ſancte illa tractarentur. Egregius locus in literis exſtat apud S. Tertullianum de *Corona militis Cap. III. Calicis aut panis etiam noſtri aliquid decuti in terram anxie patimur*. Quantumvis vero hæc, ceu nonnulli quidem pertendunt, de ſacroſancta euchariſtia non ſint accipienda, ſed de *calice & pane* communi, id quod ex pronomine NOSTRI abunde liquet. Nihilominus de communi calice ac pane ad euchariſticum a minori ad majus concludi, & ſanctitas inde perſpici poteſt. Hinc calicem effundere euchariſticum grande nefas & morte piandum in eccleſia habitum fuit. Id quod ex reatu

[illegible] falſo S. Athanaſio & S. Chryſoſtomo inventato omni luce clarius eluceſcit.

Bartholomæus Gavantus *Comm. in Rubr. Miſſ. Part. II.* obſervat *octo angulis calices formatos eſſe*, Prudentii auctoritate fretus. Vellem autem loci hujus indicium factu fuiſſe. Sed in eo viri hujꝰ induſtria penitꝰ refrixit.

In aliis formam *hexagonam* obſervare licet. Hanc in primis commendant in pellucidis. Ex eo quippe multum & colori & vini pulchritudini acceſſionis fieri poteſt. Id quod iis quoque notatum eſt ſedulo, quos antiquitates convivales ſcribere omnino juvit.

Pontificiorum moraliſtæ ultro citroque pedunculi Calicis euchariſtici *formam octangulam* commendant. Firmiſſimæ enim certiſſimæque ejus locationi & ſtationi conſulere ſatagunt, in primis poſtquam monſtroſum illud dogma transſubſtantiationis in Romana eccleſia notum fuit. Hoc quippe multa ſuperſtitionum portenta, de quibus forſan infra, peperit.

Qui hodie regnant Calices in eccleſiis euchariſtici plerique conſpiciuntur in labro ſuperiori ampliores, in fundo paullo contractiores. Pedunculus autem ſic factus adparet, ut ſuſtentandæ moli aptus & accommodatus ſit. Quod ſi eccleſiarum forulos vel altaria hinc & hinc inſpexerimus, non una forma eorum obſervari poterit.

terit. Nolo autem omnium formas ære exhibere, cum hoc operoſius ſit, quam fructuoſum.

CAPUT XV.

De
Calicibus Euchariſticis Gemmatis.

AD hanc formam GEMMAS referre juvat, CALICIBUS EUCHARISTICIS inſertas. Hiſce enim & pretium & eligantiam illis conciliare voluerunt, adeoque eos tam vario gemmarum adparatu diſtinxerunt.

Non memini tamen ante S. Chryſoſtomum fuiſſe quemquam Patrum, qui CALICIS GEMMATI EUCHARISTICI meminerit. Verba ejus ſunt *Homilia I X. ad populum Antiochenum* hæc: *Non ſatis nobis eſſe exiſtumamus ad ſalutem ſi viduis & pupillis expilatis aureum calicem & gemmatum menſæ obferamus.* Caſtigat S. pater eorum mores, qui viduarum prædiis ſurreptis, ex præda altari ſacro in expiationem contracti reatus legant.

Hujuscemodi CALICES olim eccleſiæ ab Imperatoribus legabantur. Baronius *Tom. III. Annal. ad annum Chriſti CCCXXIV. num. CXIV.* memoriæ de Conſtantino prodit,

dit, quod Baſilicæ in via Lavicana *donarit calices aureos tres penſantes ſingulas libras decem cum gemmis praſinis & hyacinthinis.* Alibi alia multa de hujus Imperatoris magnificentia in eccleſiam Chriſti proſtant, quæ omnia advocare, non opus eſſe putamus.

Juſtinianus Imperator, eccleſiæ Chriſti ſuam munificentiam declaraturus & Calicibus aureis ac argenteis & gemmis quoque variegatis ac diſtinctis menſam Domini beavit. Quinimo, admirabilem menſam Chriſto nuncupaſſe dicitur, qui a Cedreno & aliis impenſiſſime laudari ſolet. *Tunc fecit & SACRAM MENSAM, opus inimitabile. Ex auro enim & argento & lapide omnis generis & ligno & metallo & aliis ſpeciebus quæcunque fert terra & mare & univerſus orbis, quum ex omnibus collegiſſet, quæ quidem optima ſunt & pretioſiſſima, largius, quæ vero minoris pretii, parcius, fuſilibus fuſis arida hæc injecit. Atque ita eam in typum infuſam perfecit:* Ὅθεν καὶ ποικίλη φαινομένη θάμβος παρέχει τοῖς ἐπ' αὐτὴν ἀτενίζουσι. *Vnde tam varia adparuit, ut intuentes in ſtuporem conjiceret.* Cui hanc inſcriptionem addidit: Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν οἱ δοῦλοι σου, Χριστὲ, Ἰουστινιανὸς καὶ Θεόδωρα, ἃ εὐμενῶς προσδέξαι υἱὲ καὶ Λόγε τοῦ Θεοῦ. *Tua ex his tibi obferimus ſervi tui, Chriſte, Juſtinianus & Theodora, quæ benivole accipe, Fili & verbum Dei.*

De Michaele Imperatore Anaſtaſius narrat,

rat, quod coronato Papæ Romano, Benedicto nimirum, Romam miſerit *coronam ex auro puriſſimo textam cum diverſis lapidibus pretioſis, calicem ſimiliter ex auro & lapidibus circumdatum, reticula pendentia ex gemmis albis pretioſiſſimæ pulchritudine decorata.* Cum aliis apud Anaſtaſium idem relatum reperire licet.

Horum veſtigia Papæ preſſerunt. Inter hos Gregorius III, qui ſuam munificentiam eccleſiæ Chriſti declarari voluit, eo genere calicis legato. De eo Anaſtaſius in *Vita* ejus hæc docet: *Hic Gregorius fecit calicem aureum præcipuum diverſis ornatum lapidibus pretioſis, penſantem libras viginti octo.* Pretioſiſſimus equidem! Calix.

Apud Bacherium in *Spicilegio fol. DIX*, exſtat *Hiſtoria Abbat. Condom.* in qua inter alia hæc reperiuntur: *Item, unum vas argenteum cum lampadibus, in quo eſt poſitus calix lapidis pretioſi, cum quo B. Petrus Apoſtolus celebravit primam miſſam in Antiochia.* Hæc noviſſima liberalius dicta videri poſſunt. Prioribus vero quur fidem denegemus, non intelligimus.

Quinimo, Seculo IIX. conſtitutum nomini Centuriatoribus teſtibus, ut vaſa ſacra non pura & eligantia duntaxat, verumetiam ut gemmis diſtincta eſſent. Quidquid enim ad ornamentum & eligantiam apparatus menſæ Domini facere videretur, id

id omne, ceu diximus, temporis progreſſu advocabatur.

Hinc, vel adhuc hodie Romæ, Pariſiis, Venetiis, Bruxellis & quum plurimis in locis aliis CALICES EUCHARISTICI variis gemmis diſtincti adparent, ſic ut non referre, ſed oculi duntaxat in rei fidem deſiderentur. Pompa quippe adparatuque externo omnia in ſuis eccleſiis Pontificii meriti ſolent. Lutherani in nonnullis locis Pontificiorum vanitatem in gemmis imitari juſſent ſuos EUCHARISTICOS CALICES, ſed, non poſſunt per alia, ad eam magnificentiam accedere.

Huc pertinet Pontificiorum, ſic dicta MONSTRANTIA. Quanta cum cura & elegantia illa ſervetur & exornetur, non commentatores in Miſſalis rubricas duntaxat, verum ipſa experientia oculis fidem facere poteſt. Adparet enim non ex auro & argento ſolum, ſed gemmæ eidem omne decus & ornamentum conciliant.

Non ſolum autem Chriſtianorum CALICES EUCHARISTICI gemmis fuere diſtincti, ſed privatos quoque & profanos iiſdem exornatos deprehendo. Hinc Clemens Alexandrinus, graviſſimus ille morum Chriſtianorum Cenſor, *libr. II. Pædag. Cap. III.* gemmatos illos Calices, ἐκπώματα λιθοκόλλητα, quam graviſſime reprehendit, & in ea invehitur. Noverat enim Chri-

Chriſtianorum animos in illa proclives ac pronos. Quare in eo eſt, ut illos a vanitate illa avocatos ad frugalitatem invitet.

Apud S. Cyprianum *libr. II. Epiſt. II. ad Donatum* locus exſtat, qui idem docuerit: *Non cibus*, inquit, *ſecurus ſomnusve contingit. Suſpirat ille in convivio, bibat licet gemma, & quum epulis marcidum corpus thorus mollior alto ſinu condiderit, vigilat in pluma.* Quid *gemmæ*, nomine veniat, palam eſt, & infra fuſius explicabitur.

S. Hieronymus ævi ſui mores induſtrius deſcriptor in quadam *Epiſtola* ad *Macariam* ait: *Beatioresne tibi videntur, qui purpura fulgent, qui gemma bibunt, toga ſoliantur, palmataque pinguntur?* Hæc Hieronymus, ſeculi ſui luxum depingens.

Mundiales Scriptores ejuſcemodi vaſcula & CALICES pari modo nobis ſiſtunt. Referunt quoque ſacrificalia vaſa gemmis diſtincta eſſe. Manlius *libr. V. Aſtronomiæ* ſic modulatur:

Hinc auguſta nitent ſacratis munera templis
Aurea, Phœbeis certantia lumina flammis
Gemmarumque illi radiantis lucibus ignes.

Scilicet, ejuſcemodi vaſa ſacra & eligantia eſſe debebant, cui in primis incumbebant.

Vocantur ſuo nomine talia gemmis diſtincta vaſcula *Chryſendeta*, quorum apud Martialem, & Fulvium Vrſinum in *Appendice*

dice ad Ciacconii *Triclinium* aliquoties mentio facta eſt. Adrianus Turnebus *libr. XIV. Adverſ. Cap. III.* exponit: *Gemmas auro inſertas*. Iſidorus *deaurata vaſa* eſſe putat *libr. XX.* quomodo etiam *Calices fictiles deaurati* inveniuntur apud Petronium Arbitrum in *Fragmento*.

Verumenimvero, vaſa ſunt auro ex ſolido facta & admixtis gemmis ſcite decorata. Martialis *libr. VI. Epigr. ult.*

Ponantur ſemper Chryſendeta Caſperiano
Sive foris, ſeu quum cœnat in urbe domi.

Et *libr. II. Epigr. XLIII.*

Innumeri tibi ſtāna tegunt Chryſendeta mulli

Et *Epigr. libr. XIV. Epigr. XCVII.*

Grandia ne viola parva Chryſendeta mullo.

Gemmæ iis inductæ *gemmatorum* nomen *Calicibus* illis indiderunt, ceu eſt apud Lutatium ad *libr. I. Thebaid.* vſ. CL. Quinimo, non *gemmati* tantum audiunt, verum etiam *gemma*. Id quod e Patribus non modo liquet, ſed, ex aliis quoque ſcriptoribus profanis. Virgilius *libr. II. Georg.*

Hic petit excidiis urbem, miſeroſq; penates
Vt gemma bibat & Serrano dormiat Oſtro.

Lucanus *libr.* X. de *Bello Pharſalico*

manibus miniſtrat
Niliacas cryſtallus aquas, gemmæq; capaces
Excepere merum.

Martialis *libr. XI. Epigramma XII.*

Te potare decet gemma.

M Pro-

Propertius *lib. III. Eleg. IV.*

Non tamen inviſo pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit e gemma divite noſtra ſitis.

Juvenalis *Satyr. V.*

Qui numerat gemmas ungveſq; obſervat acutos
D[illegible].

Plinius *lib. XXXIII. lib.* eodem modo accipit. *Nec hoc fuit*, inquit, *ſatis: turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices.* Trebellius Pollio Gallienis: *Gemmata fecit vaſa, eademque aurea.* Seneca *lib. de Providentia Cap. III. Quanto magis huic invidendum eſt, quam illis, quibus gemma miniſtratur.* Sed nolo mari aquam & monti arenam [illegible]rari. Hæc ſatis probabunt, quæ probanda nobis ſuſcepta ſunt.

Caput XVI.

De
Calicum Euchariſticorum Figuris.

NOn eſt vero quod FORMAM CALICUM EUCHARISTICORUM contemplantes eorum vel ſculpturam, vel picturam ſilentio prætereamus. Etenim, noluerunt illos a figuris & cælaturis omnino vacuos, ſed iis imagines ſanctas & religioſas indiderunt, quibuscumvis, uti puto, non omnibus.

Etenim, quod ab initio eccleſiæ obtinuerint, probatu eſt quam difficillimum.

Sane

Sane! Evangeliſtæ ut alia de poculo eucha-riſtico plura; ſic hoc quoque de pictura vel ſculptura ſilentio ſanctiſſime venerantur. Ratio ejus e ſupra dictis in promtu eſt. Plenum igitur moleſtiæ opus eſt, hoc negotium & argumentum.

Sunt quidem in Sacris non uni commemorati calices, inter quos etiam eſt Saulis, 1. Sam. XXVI 11. צפח המים ex quo bibere ſolebat, ſed imaginum in eo nulla fit mentio. Ni valde fallor, fuere Judæi earum parciores. Gentes effuſiores in eas ſeſe oſtendere. In poculo Chriſto in noviſſima cœna uſurpato floſculorum ſculpturam & cælaturam crepant, ſed, ſine die & Conſule.

Omnium primus picturam CALICIS EUCHARISTICI nobis exhibuit S. Tertullianus, *lib. de Pudicitia Cap. VII. Procedant*, inquit, *ipſæ picturæ calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Chriſtiano an ethnico peccatori conlineet.* Et Cap. X. Tertullianus pergit: *Si forte*, inquit, *patrocinabitur Paſtor, quem in Calice depingis, proſtitutorem & ipſum Chriſtiani Sacramenti.*

Hæc equidem! parabola ex *Lucæ XV.*

M 2 mutuo

Hunc locum alii aliter exponunt. Nonnulli de *matula* ut Cajetanus in h. l. quem ſequitur Menochius, Nicolaus Serarius de *Clepſydra*, quali Romani in militia uſi ſunt, Vegetius

lib. III. de Militia Romana. Alii de vaſe, ex quo [illegible] matula abſtergebatur. Sed [illegible] auctor. Confer Caſparem Sanctium *in Comment. in bl. fol.* CCCCLXXIV.

mutuo accepta hanc imaginem eccleſiæ Chriſti impenſiſſime commendavit. Quod ſi enim Romam ſubterraneam adierimus, numero ſane! eam in veteribus monumentis reperiemus. In via Portuenſi in Cœmiterio Porturo occurrit cum figura elegantiſſima quatuor temporum, ceu Bosius in *Cœmeterio Cap. XVII.* commemorat. In Cœmiterio S. Calliſti Papæ in Via Appia pari modo invenitur. Quod ſi ejus rei deſiderio videndi efferris, Adi Paulum Aringhum *libr. II. Romæ ſubterraneæ Cap. XX.* In Cœmeterio S. Marcellini & Petri fit denuo obviam. In Cubiculo Cœmeterii S. Agnetis. In Cœmeterio Priſcillæ, ubi plurium aliarum oviculorum imagines. Quid quæris? Nihil hac vel prius, vel antiquius in Cryptis veterum habetur.

Non ſubeat igitur mirari, ſi eadem ex hac parabola elegantiſſima imagine deſumta antiquitas Chriſtiana ſuos CALICES EUCHARISTICOS depinxerit & ornaverit. Sunt quidem fateor, qui hoſce Calices non de eucharisticis, ſed, communibus & uſualibus duntaxat intelligant. Verum, illi nimium quantum hallucinati fallunt & falluntur. De ſacris ſermonem eſſe, omnibus patere poteſt.

Franciſcus quidem Junius *exiſtumat, orthodoxis exprobrari, quod ex uſu Ethnicorum & moribus pictis calicibus uterentur, atque inde*

auctores

auctorem Tertullianum, *probare de iisdem ethnicis parabolas, non de Chriſtianis peccatoribus exponendas eſſe.* Sed, ſi verum, per vim veri fatear, Junius noſter adprime errat. Etenim, Chriſtiani ſuas habuere imagines, quas minime ethnicis, ſed ſuæ devotæ pietati, & piæ devotioni debent.

Sic res geſtas martyrum ſanctiſſimorum in ſuis templis publice depictas omnium oculis expoſuere. Prudentius *Peri-ſtephanon Hymno IX.*

Erexi ad cœlum faciem, ſtetit obvia contra
Fucis colorum picta imago Martyris;
Æditus conſultus ait: quod proſpicis hoſpes,
Non eſt inanis, aut anilis fabula.
Hiſtoriam pictura refert, quæ tradita libris
Veram vetuſti temporis monſtrat fidem.

Idem illud elucet ex Baſilio M. in *Oratione de Barlaami martyrio* & Gregorio Nazianzeno, ut & Gregorio Nyſſeno *Sermone in Theodorum Martyrem* Confer Georgium Caſſandrum in *Conſultatione in Auguſtan. Confeſſionem Artic. II.*

Quid? quod hæc parabola ethnicis ignota fuerit, ceu perquam probabile eſt; quod ſi vero ad eorum notitiam pervenit, a Chriſtianis eam, quin mutuo acceperint, nullum eſt dubium. Id enim eſſe factum primitivæ eccleſiæ Chriſtiani Doctores profi-

De Plagio gentilium ex Chriſtianorum forulis *Notationibus in Gerbardi Titii Commentatiunculam de Morte pag.* XIII. & ſeqq. fuſius diſſerui.

profitentur. Juſtinus Martyr *Apolog. II.* S. Ambroſius *Epiſt. VII.*

Quemadmodum Gabriel Albaſpinæus, Epiſcopus quondam Aurelianenſis in *Obſerv. ad hl* Jacobus Pamelius *Comm. ad Cap. VII.* hujus libri. Et ad *librum* de *Oratione num. I.* rectius & ſanius, vi veritatis adacti confiteri habent; Conſentiunt Robertus Bellarminus de *Imaginibus Cap. IX.* Du Perron *Diſcours de la Conſe de Fort.*

Cæſar Baronius in *Annalibus ad Annum Chriſti CCXVI.* Pamelio ſuccenturiatus adeſt, inquiens: *Ex eo quoque commentario illud inſuper antiquitatis refertur argumentum monumentum nimirum, in ſacris Calicibus qui divino miniſterio celebrando eſſent uſui, effigiari conſueviſſe Paſtorem ovem humeris geſtantem, quo Sacerdotes admonerentur, imitandum ſibi eſſe divinum illum Paſtorem, qui primus tam eximium paſtoralis curæ ac ſollicitudinis ſpecimen vidit.*

Eadem parabolica figura Paſtoris ovem humeris portantis in Sacerdotum veſtibus repræſentata & intexta invenitur. Iſidorus Peluſiota *libr. I. Epiſt. CXXXVI. ad Herminium*, in qua ſic ſcriptum exſtat: *Id autem amiculum, quod Sacerdos humeris geſtat, atque ex lana, non ex lino contextum eſt, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæſivit, inventamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignat. Epiſcopus enim, qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque ipſo etiam habitu illud omni-* bus

Vide Severianum in *Roma Sotterranea Boſii libr. V. Cap.* XXVIII. *pag.* DCXX. *Solevano que' primi Chriſtiani* &c. & §. *Queſto Simbolo.*

[illegible] oſtendit, ſe boni illius & magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas proponit. Sed, nos, miſſis iis in velitu obviis imaginibus, eas duntaxat attendimus, quæ in Calicibus euchariſticis conſpicuæ fuerunt.

S. Ambroſius eas *libr. II. Offic. Cap. XXIIX. Tom. I. Oper.* inſinuare quoque videtur, inquiens: *Oportet, ut de Eccleſia myſtici poculi formam non exeat, ne ad uſus nefarios ſacri Calicis miniſterium transferatur.* Vbi per *formam poculi* non modo qualitatem compoſitionis ejus denotare videtur, verum ejusdem quoque figuram & imaginem. Ex utroq; enim poterat agnoſci, quod eſſet Calix myſticus.

Num autem *forma*, ſic enim imago dicitur, prout inferius obſervare licebit, ovis cum Paſtore in hiſce de quibus S. Ambroſius loquitur, ad exemplum S. Tertulliani Calicum, inſculpta fuerit, ego equidem ſine formidine oppoſiti, adſerere non audeo. Tertullianus quum ſui temporis imagines Calicibus euchariſticis inſcriptas exhibeat, nos ſecuros de iis præſtare poterit. Quamobrem & Baronius ad *Annum Christi LVII num. CXII.* Johannes Baptiſta Caſalius de *Veter. Chriſtian. Sacris Ritib. Cap. XI.* aliique plures idem, prævio Tertulliano, tradunt,

B. Dilherius *Tom. I. Diſput.* in *Cupreſſo funerea pag* CCCC-XLIX. Meurſius in *Gloſſario.* Symeon Theſſalonicenſis *libro de Sacris Odis. Cap.* VII. *pag.* CLXIV. *Et libro de Templo pag.* CCXX. & ſeqq. Balſamo *Reſponſ.* XVI. Joannicius Cartanus Hieromonachus in 'Ανθ[illegible].

Quod ſi ad ætatem Apoſtolorum virorumque Apoſtolicorum regrediamur, interrogando de imaginibus eorum calicibus euchariſticis inditis, reſpondendum fuerit : NON LIQUET. Si conjecturis agendum eſſet, CRUCES in iis conſpicuas fuiſſe, arbitrarer. Hæc quippe figura omnium antiquiſſima eſſe videtur.

Non male Jacobus Gretſerus *libr. II. de Sacra Cruce Cap. II. Quod ſi*, inquit, *ut illis teſtatur*, Tertullianus, *ſua memoria moris erat in Calicibus eccleſiarum ſculpere imaginem Christi habitu & ſpecie Paſtoris perditam ovem humeris ad gregem reportantis, nemo jure ambigit, eosdem Chriſtianos CRUCIS IMAGINES habuiſſe, quum multo clariora ſint exempla divini in nos amoris, quam illa boni Paſtoris effigies.*

Hæc hujus Gretſeri opinio ſua probabilitate, meo quidem judicio, non excidit. Inter omnes enim conſtat, formam *Crucis* non modo profanis rebus inſculptam fuiſſe, ſed in ſacroſancta euchariſtia eamdem quoque inſignem adparuiſſe. Etenim, non modo Pauli, ſed ejus ætatis eccleſiæ ſymbolum erat, quod exſtat 1. *Cor.* II. 2. Οὐ ἔκρινα τοῦ εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν, εἰ μὴ Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον. *Non judicavi me quidquam ſcire inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & eum crucifixum.* De quo *Galat.* II. 1. prædicat : Quod κατ' ὀφθαλμοὺς προεγράφη, *præ oculis præſcriptus ſit.* Procul dubio igitur Apoſtolorum

Calices

Calices euchariſtici CRUCIS ſigno inſignes fuerunt.

Horum veſtigiis alii deinceps inhæſerunt, eamque conſvetudinem ſuam fecerunt. Hinc factum, ut CRUCES in numis, in labaris, in ædibus, in menſis, in poculis, in panibus, in veſtibus, in ſepulcris, & neſcio, ubi non, pictæ & cælatæ in monumentis Patrum compareant. Quare apud Cyrillum Hieroſolymitanum *Catecheſi XIII.* legimus: Καὶ ἐπὶ πάντων ὁ σταυρὸς γινέσθω. Ἐπὶ ἄρτων βιβρωσκομένων, καὶ ἐπὶ ποτηρίων πινομένων. Ἐν εἰσόδοις, ἐν ἐξόδοις. *In aliis etiam omnibus Crux fiat, in panibus comedendis, & in poculis bibendis, in egreſſu & ingreſſu.*

S. Chryſoſtomus *Homil.* CXXXIX. *Tom.* V. de *Adoratione Crucis Chriſti*: Πανταχοῦ τὸ σύμβολον ἡμῖν τοῦ σταυροῦ παρίσταται. Διὰ τοῦτο καὶ ἐπὶ οἰκίας, καὶ ἐπὶ τῶν τείχων, καὶ ἐπὶ τῶν θυρίδων, καὶ ἐπὶ τῶν μετώπων καὶ ἐπὶ τῆς διανοίας μετὰ πολλῆς ἐπιγράφομεν αὐτὸν τῆς σπουδῆς. *Ubique ſymbolum crucis nobis eſt. Ob eam cauſſam & in ædibus & in parietibus, & in feneſtris & in frontibus & in animo atque mente eam ſtudioſe depingimus & inſculpimus.*

Ruffinus *libr. II. Hiſtor. Eccleſ. Cap.* XXIX. *Thoraces Serapidis, qui per ſingulas quasque domos in parietibus in ingreſſibus in poſtibus etiam ac feneſtris erant, ita abſciſſi ſunt omnes & abraſi, ut ne veſtigium quidem usquam, vel, nominis adpellatio, aut ipſius aut cujuslibet alterius*

Dæmonis remaneret; ſed pro his crucis Dominicæ ſiguram unusquisq; in poſtibus, in ingreſſionibus, in feneſtris, in parietibus, in columnis depingeret. Erant autem *Thoraces* ſcapulis imagines abbreviatæ ad thoracem uſque, prout ex Polluce Jacobus Gretſerus *Libr. II. de S. Cruce Cap. XXII.* animadvertit.

Geminum huic teſtimonium occurrit apud S. Ephræm *libr. de Vera Pœnit. Cap. III.* ubi monet, ut *poſtes pretioſa & vivifica cruce conſignemus, & ut ea in januis pingatur.* Pluribus non eſt opus teſtimoniis, ſed, in hiſce omnino acquieſcimus.

Conſvetudo autem illa non parum paſſim videri poſſit per conſtitutiones, quibus cautum eſt de crucibus humo vel pavimento pingendis. Patres in Trullo *Canon. LXXIII.* Τοὺς ἀπὸ τοῦ νῦν σταυροῦ τύπον ἐπὶ ἐδάφους κατασκευάζοντας ὁρίζομεν ἀφορίζεσθαι. *Qui deinceps crucis ſignum in pavimento fecerit, eum excommunicationi exponimus.* Et Conſtitutio Theodoſii & Valentiniani *libr. I. C.* exſtat. *Nemini licere ſignum Salvatoris Chriſti humi, vel in ſilice, vel in marmore aut inſculpere aut pingere.*

Quod de uſu CRUCIS in actu Cœnæ Dominicæ eidemque adnexis diximus, non vacat fide. Etenim, non in operimentis menſæ Domini tantum crux videbatur, ſed cum manibus in formam crucis compli-

catis

Vide de hiſce inſtitutis adprime laudabilibus librum meum de *Vulneribus Chriſti circa finem* §. CCCCCXL. & ſeqq.

[illegible], vel figuratis hoc ſanctiſſimum epulum adire, moris erat. Teſtis eſt Damaſcenus *libr. IV. de Orthodoxia fidei Cap. XIV.* σταυροειδῶς τὰς παλάμας τυπώσαντες, τὸ ἐσταυρωμένον τὸ σῶμα ὑποδεξάμεθα. *Manus in Crucis ſpeciem formantes, crucifixi corpus ſuſcipiamus.* Synodus Conſtantinopolitana Quiniſexta *Canon. C I.* cumdem manuum geſtum communicantibus commendavit.

Significantius tamen indicium a panibus in ſacroſancta euchariſtia uſurpatis petere licet. Hi ſane! apud Cæſarem Baronium *libr. I. Annal. ad Annum Chriſti LVIII. num. LXI.* cum figura crucis adparent. In Sigmate enim Chryſogonæo ea panis forma a Fulvio Vrſino expreſſa occurrit. Nec euchariſtici ſolum, verum vulgares quoq; eadem cruce inſigniti proſtant.

Græci hodierni panes ſuos euchariſticos eadem CRUCIS figura exornant. Martin' Goar in *Euchologio pag. CXVII.* & Petrus Arcudius de *Concordia Græcæ & Latinæ Eccleſiæ* teſtes ſunt. Nec mirandum, quod ea *Crucis* figura adeo delectati fuerint, quum Chriſto Crucifixo nihil ipſis prius, nihil antiquius, memoriaque crucis & paſſionis ejus ſanctiſſime & uſurpanda & celebranda ſit.

Et poſtquam OBLATÆ, ceu vocant, in eccleſiam Pontificiam & Lutheranam a primæva Chriſti inſtitutione paullo alieniores

niores & liberiores irrepſere, quod poſt milleſimum a nato Chriſto annum factum eſt, ceu Gerardus Johannes Voſſius in *Diſput. Theolog. XIX.* ex Honorio Auguſtodunenſi probat, nec Cardinalis Johannes Bona *libr. I. Rer. Liturg. Cap. XXIII.* negare auſus fuit, in ſocietatem crucis, qua panes illi dicti venerunt.

Nec *Crucem* duntaxat retulerunt, verum etiam CRUCIFIXUM, vel Chriſtum columnæ adligatum, vel e ſepulcro redeuntem, & plures alias figuras, prout animadvertit Aloyſius Novarinus in *Agno Euchariſtico Cap. LXIX.* Guilielmus Durandus in *Rationali Cap. III.*

Quemadmodum igitur & in euchariſtia, & in diſco euchariſtico, in primis apud Græcos figura CRUCIS locum ſuum invenit; ſic nullum eſt dubium, eamdem in Calicibus euchariſticis conſpicuam fuiſſe.

Et quum Romæ in Operibus Muſivis paſſim adpareant agnus cum ſangvine & Calice ebullienti e corpore depictus, agnique alii cum Crucibus in Capitibus, & eas in Calicibus euchariſticis olim fuiſſe obſervabiles, omnino mihi perſuadeo.

Seculo S. Hieronymi, prout ipſe teſtatur, *Comm. in Jonam Tom. VI.* uſu obtinuiſſe dicitur, ſanctos Apoſtolos in cucurbitis vaſculorum pingere. Verba S. Patris ſunt hæc: *Revera in ipſis cucurbitis vaſculorum, quas*

quas vulgo Saucomarias *vocant, ſolent Apoſtolorum imagines adumbrare e quibus & ille nomen ſibi nomen adſumſit.* Sic ipſe *in Cap. IV. Jonæ.*

Num in CALICIBUS EUCHARISTICIS idem factum, me equidem! ignorare fateor. Interim certum, Apoſtolorum imagines magni ſemper eſſe Chriſtianis habitas. Hoc non ex Euſebii *libr. VII. Hiſt. Eccleſ. Cap. XVIII.* tantum, verum etiam ex Pauli Aringhi *Roma ſubterranea libr. I. Cap. VII.* palam & manifeſtum eſt. Confer Johannem Baptiſtam Caſalium *de Veterum Chriſtian. Ritib. Cap. II.* Johannem Molanum *libr.* III. de *Imaginibus.*

Apud Wilhelmum Lindanum *libr. IV. Panopliæ Cap. LVII.* duodecim Virunculi cum Calicibus in poculo argenteo euchariſtico divi Bonifacii Martyris in Dokum oſtentantur. De hiſce apud Lindanum hæc proſtant: *Quod autem hoc calice ſangvis Dominicus fuerit populo impertitus, argumento mihi quidem eſt indubitato, quod poculi in circulo, qui illud ambit medium, virunculi ſtant excluſi,* lego excuſi, *duodecim, qui calicem manu oſtentant, Sacerdotis caſulati ſpecie ad veteris eccleſiæ morem.*

Num hi XII. Apoſtolorum numerum retulerint, me equidem fugit. Forſan ejus artifex idipſum perſvadere voluit. Quod ſi ſint, temeritati ejus aliquid dandum fuerit.

rit. Etenim, numquam Apoſtoli caſulati inceſſere, ſed, Caſulæ habitus ab ætate Apoſtolorum longius abit, prout iis eſt notum, qui ſtudio antiquitatum ſedulo operam dederunt.

CHRISTI picturam CALICIBUS EUCHARISTICIS eſſe inſcriptam, vix dubitandum. Hic enim hujus Calicis auctor & humani generis unicus fons ſalutis, ad quem omnes inſtar cervi ſitientis, magno multoque cum deſiderio properent. Hic eſt, qui omnes onuſtos & moleſte laborantes ad ſe invitans, gratiæ & miſericordiæ ſuæ potu ſanctiſſime reficit. Quo etiam pronum & proclivem ſentimus Johannem Dallæum *libr. III. de Imag. Cap. II. & III.*

Hodie in illis in omni terrarum orbe non unas imagines videre licet in Pontificiorum Lutheranorumque eccleſiis. Alii enim crucem, alii Crucifixum Jeſum, alii agnum, alii flores, alii Cervos ad fluenta aquarum properantes, alii publicanum pœnitentem, alii inſignia donantis, alii aliam figuram referunt. Nonnulli imaginib' illis vacant, ceu illi qui menſis noſtris inſerviunt.

Et, quum euchariſtici illi CALICES partim VITREI, partim SOLIDIORIS & ALTERIUS materiæ, ceu hactenus vidimus, fuerint, utrique tamen de imaginibus ſibi gratulari habuerint, non erit ab inſti-

tuto

tuto alienum, modum declarare, quo utrisque ejuſcemodi imagines inditæ ſint.

VITREOS quod adtinet, duo modi in promtu ſunt, per quos ad ejuſcemodi IMAGINES pervenire, potuerint. Nimirum, vel per *cælaturam*, vel per *picturam*. Prioris modi Calices audiunt *diatreti*, quibus Ægyptii delectati ſunt, prout ad Vopiſcum nobiliſſimus Claudius Salmaſius animadvertit. Confer Plinium *libr. XXIII. Cap. XII.*

PICTURA vero per ἐγκαυστικὴν perficiebatur, prout jámtum ſupra dicere cœpimus. Audiamus heic Vitruvium *libr. VII. Cap. IX. Ceram Punicam igni liquefactam paullo oleo temperatam ſeta inducat: deinde carbonibus in ferreo vaſe compoſitis, eam ceram adprime cum pariete calefaciendo ſudare cogat, fiatque ut peræquetur. Poſtea cum candelis linteisque puris ſubigat, uti ſignina marmora curantur. Hæc autem* Καῦσις *Græce dicitur.* Confer Plinium *libr. XXXV.* Gerhardum Johannem Voſſium *libr. IV. de Idololatria Cap. XCI.*

De hac arte præclare diſſerit Ferrandus Imperatus Neapolitanus in *Hiſtoria naturali Libr.* IV. Nereus de *Arte vitraria*. Johannes Ciampinus *Parte* I. *Monumentorum veterum Cap.* XI. De qua etiam liber exſtat in Bibliotheca Paulina LipſienſiMonachi *Theophili de Coloribus & arte colorandi vitra*, teſtibus Recenſoribus *Actorum erudit. Lipſ.* anno MDCXCI. *Menſe Aug. pag* CCCXIX. & auctore induſtrio *Colloquiorum menſtruorum* añi MDCXCI. *pag.* XXXV.

Hujus-

Hujuſmodi PICTURAM in CALICIBUS EUCHARISTICIS admiſſam puto, ſecus vero cælaturam. De hac enim IMAGO, de illa FORMA prædicatur, ceu iis notum, qui forulos antiquitatum recte excuſſerunt. Vberius autem hæc modo perſequi, non eſt equidem! inſtituti noſtri.

Quum igitur euchariſtici illi calices per picturam, ceu diximus, in poſſeſſionem imaginum devenerint, hinc dicuntur; IMAGINATI. Teſtamentum S. Remigii, Remenſis Archiepiſcopi fidem facit. Hujus verba ſunt: *Tibi hæredi meæ Eccleſiæ ſupra memoratæ jubeo thuribulum & imaginatum calicem fabricari.* In Charta Rudeſindi apud Antonium de Yepez *Tom. V. Chronici Ordinis S. Benedicti* hæc habentur; *Diptagos aureos argenteos, imaginatos & deauratos, calices argenteos exaratos tres.* Confer Bartholomæum Gavantum *Comment. in Rubr. Miſſ. Part. II. Tit. I.*

Apud Johannem Mabillonium in *Liturgia Gallicana in Adpendice Probationum pag.* CCCC-XCVI. *turriculum* pro *thuribulum* legitur. Quæ lectio etiam mihi probatur.

Quemadmodum vero Chriſtiani Calices ſuos ſacros euchariſticos imaginibus, ſic gentes quoque iisdem ſacrificalia ſua vaſa variaverunt. Apulejus *libr. ult. Mileſ.* eligantiſſimum locum ſuppeditat, inquiens: *Vrnula faberrime cavata, fundo quam rotundo, miris extrinſecus ſimulacris Ægyptiorum effigiata, ejus orificium non altiuſcule levatum in canalem porrectum longo rivulo prominebat &c.* Ecquid clarius?

Ejuſce-

Ejuſcemodi imagines quocunque modo effictæ & efformatæ audiunt SIGILLA, ipſa vero vaſa SIGILLATA, prout ex Ciceronis VI. in *Verrem* conſtat. Mantuanum illud ſuperius dictum vas omnem dubitandi ſcrupulum feliciſſime eximere poterit. In eo enim tales imagines non unæ ſeſe ejiciunt. Quod ſi reliquam ſupellectilem ſacrificalem excuſſerimus, vero ſuus honos omnino conſtiterit. Eſt quippe ampla adhuc poſſeſſio ejus Romæ apud viros, quos antiquitatis amor cepit maximus. Confer Guilielmum de Choul de *la Religion des anciens Romains* & Johannem Baptiſtam Caſalium de *Ritib. Prof. Cap. XV.* Nuperrime Johannes ille Ciampinus-dl.

Et quem fugiunt Ægyptiorum Hieroglyphica ſacra? Sane! hæc imaginibus talibus longe erant pleniſſima. Sed ea non moramur, verum ad alia porro excutienda digredimur. Quod ſi ea inſpicere volupe fuerit, Pierii Hieroglyphica conſulenda erunt. Athanaſius Kircherius, Jeſuita ille celeberrimus horum cognitionem exactam habuiſſe fertur, quam in ſuis monumentis ultro citroque egregie oſtendit.

Vſus tamen profanus conſpectior prodit in Calicibus uſualibus. Sic Anacreon de ſuo canit:

Ποίησον ἀμπέλυς μοί
Καὶ βότρυας κατ' αὐτῶ.
Vites mihi inſculpe
Et racemos in eo.

De ſcypho Neſtoris Vide Jacobi Gaffarelli Curioſitates inauditas in Præfat. & admon. ad Lectorem pag X. Andream Alciatum in Emblem. CI. pag. CXXII. Claudium Minoem in Comment bl. Michaelis ad Gaffarellum pag. XVIII.

Huic adfine eſt poculum Clitophontis apud Achillem Statium *libr. II.* Papinius Statius *libr. I. Thebaidos* de eo egregium quoq; teſtimonium ſuppeditat, ſic modulatus:

Bina dabo argento perfecta atq; aſpera ſignis
Pocula.

Apud Plautum in *Amphitruone* in Regis patera *erat ſol oriens cum quadrigis.* Confer Voſſcum in *Aurelio.* Johannem Ludovicum de La-Cerda *Ecloga III.* in *Virgil.* Guilielmum Stuckium *libr. III. Antiq. Conviv. Cap. XIII.* Eorum figuras reperire licet apud Fulvium Vrſinum in *Adpendice ad Triclinium Petri Ciacconii pag. CCCLXV.*

Hodie in univerſa Europa nihil tritius & uſitatius vaſis aureis argenteisque emblematibus & figuris inſignibus. In primis pocula vitrea iisdem excellunt ἀγάλμασι. In re autem liquidiſſima verba cædere eſt illam non illuſtrare, ſed obſcurare. Ne hoc fieri videatur, finimus.

CAPUT XVII.

De Calicum Euchariſticorum Inſcriptionibus.

VIdimus hactenus figuras & emblemata, quibus Calices euchariſtici inſigniti fuerunt. Reſtat ut de eorumdem

INSCRI-

INSCRIPTIONIBUS pari modo laboremus. Sic quippe conſvetudo ferebat, emblemata inſcriptionibus & iis acutis & venuſtis illuſtrare, & figuris vel imaginibus quidquam adſcribere. Nam, ſcire oportet, non omnem imaginem eſſe emblema, ſed hæc multum equidem! inter ſe differre. Quod ſcire volumus eos, qui forſan opinentur, nos Calicum imagines pro emblematibus obtruſuros eſſe. Omnino non.

Hujuſcemodi autem inſcriptiones magno amploque numero cum apud Romanos, tum apud Chriſtianos invenire licet. Hi enim non raro gentium mores in iis, quæ ſine peccato recipi poterant, imitabantur, prout multis declarari poſſet, modo id ageretur.

Miſſis vero reliquis, eas duntaxat in ſcenam prodire jubemus, quæ CALICIBUS EUCHARISTICIS inditæ fuerunt. Nam, licet nec hiſtoria ſacra, nec virorum Apoſtolicorum monumenta de iis nos certiores faciant, quin tamen iis additæ fuerint, non eſt dubitandum.

Quod ſi Seculi IX. forulos eccleſiaſticos adiero, in S. Remigii Calice, cujus jamtum ſupra mentio facta eſt, fidem & veritatem inſcriptionis invenio. Etenim, principio quidem in eo adparet nomen Archiepiſcopi REMIGII. Hic enim donarat CA-

LICEM illum eccleſiæ, ut vulgo dicitur. Deinde ſeſe prodit ipſa inſcriptio:

Hauriat hinc populus vitam de ſangvine ſacro
Injecto, æternus quem fudit vulnere Chriſtus.

Hæc prima omnium mihi obviam in ſcriptis veterum ivit, proinde adfirmo, admodum raras illas eſſe, non tamen nullas.

Qui hodie in eccleſia uſurpantur, nonnumquam DONATORIS nomen referunt. Memoria enim ejus hoc invento ab interitu vindicatur. Quantum vero ei tribuendum ſit, ex judicio caritatis dijudicandum mihi equidem! non ſumo. Quod ſi Chriſti optumi Conſiliarii conſilio parere voluerimus, rectius meo quidem judicio, rebus noſtris conſuluerimus.

Cornu illud in eucharistia loco calicis apud Norwegos uſurpatum, de quo Olaus Wormius inſcriptione ſua gaudere. Wormius di narrat.

In nonnullis advertere licet: SANGVIS CHRISTI. Quæ formula in primitiva eccleſia apud eos pronunciabatur, qui euchariſtiam ſacroſanctam uſurpabant. Reſpondebat Communicans: AMEN. Ediſſerit hunc morem Cornelius Pontifex Romanus in *Epiſtola ad Fabium* in *Euſebio libr. VI. Hiſtor. Eccleſ. Cap. XXXV.* & Auctor *Conſtitut. Apoſtol. libr. IIX. Cap. XXII.* Deinceps tamen hæc formula acceſſione verborum aucta eſt, ceu iis conſtat, quibus antiquitatis ſtudium curæ eſt.

Alii Johannæum illud exhibent: SANGVIS JESV CHRISTI FILII DEI EMVN-

DAT

DAT NOS AB OMNI PECCATO. Prior ex hac exciſa & excerpta videri poſſit. Quantum enim fieri poteſt, neceſſe eſt, ut inſcriptiones ſint conciſæ & breves, aculeum & attentionem in animos legentium demittentes. In aliis habetur: SI DEVS PRO NOBIS, QVIS CONTRA NOS. Alii referunt Johannis demonſtrationem: ECCE AGNVS DEI, QVI TOLLIT PECCATA MVNDI. In aliis: JESVS CHRISTVS NOS DILEXIT ET SVO SANGVINE A PECCATIS NOSTRIS NOS MVNDAVIT. In alio hæc Aquinatis ſpectantur.

PIE PELICANE JESV DOMINE,
ME IMMVNDVM MVNDA TVO
SANGVINE,
CVJVS VNA STILLA SALVVM
FACERE
TOTVM MVNDVM POSSIT
OMNI SCELERE.

Ecquis vero Calicum euchariſticorum omnium omnes inſcriptiones huc poteſt tranſcribere? Quum autem hæc ſufficere arbitremur, quæ de inſcriptionibus ſacris euchariſticis in medium attulimus, nolumus iisdem amplius in libri ingratam molem occupari.

Profani Calices a ſuis inſcriptionibus non fuere vel alieni, vel vacui. Propterea eos dictos invenio: *Pocula Grammatica*. Vide

Athenæum *libr. XI. Dipnoſoph. Cap. IV.* Nero tales poſſedit a verſibus ex Homero petitis *Homericos* dictos, teſte Svetonio in *Nerone.* Talis erat cui inſcriptum erat: Δεὸς σωτῆρος. Confer Cœlium Rhodiginum *libr. VII. Lect. Antiq. Cap. ult.* Guilielmum Stuckium in *Antiq. Conviv. libr. III. Cap. XII.* Sic Joſefi Calicem Ægyptiis literis exornatum nonnulli arbitrantur, quos inter Johannes Henricus Vrſinus *Part. I. Analect. Cap. XXX.*

CAPUT XVIII.

De Calicum Euchariſticorum abuſu antiquiori.

CALICUM vero EUCHARISTICORUM uſus non eſt alius quam ut ex iis comunicaturis vinum benedictum ad bibendum porrigatur, juxta Chriſti mandatum: *Matth. XXVI. 27.* Πίνετε ἐξ αὐτοῦ πάντες. *Bibite ex eo*, poculo, *omnes*. Quod obſervatum in Eccleſia Corinthiaca *1. Cor. XI. 28.* In eccleſiis Patrum ætate florentibus, ceu ex S. Clemente Romano, S. Ignatio, Clemente Alexandrino, Juſtino Martyre, aliisque patet. Proinde, ceu ab initio dictum eſt, *Calix* audit Ποτήριον a potu & bibendi actu.

Verum-

Verumenimvero, huic fini temporis progreſſu, variis modis, ut fieri ſolet, contraivere. Nam, quemadmodum profanis, non uno modo, ſic etiam ſacris, ſi veterum ſorulos excuſſerimus, abuſi ſunt.

De profanorum Calicum abuſu res omnis in promtu eſt. Calicibus quippe ſuis abutebantur ad magiam, ceu ex hiſtoria veteri liquet. Hic actus dicebatur Κυλικομαντεία. Vide Julium Serenum *libr. IX. de Fato Cap. IIX.* Nonnulla quoque in Calicibus ominoſa contigere, quæ huc accerſere non eſt opus.

Sunt, qui poculum Joſefi de hac magiæ ſpecie interpretari velint, quorum veſtigia premere volupe fuit in *Analectis Excurſ. XXVII.* Hoc vero eſt abuti poculo & illud a genuino uſu in abuſum minime adprobandum temere devocare.

Nihil dicam de hodiernis poculorum abuſibus qui immoderatis ingurgitationibus abſolvuntur, quos merito Chriſtiana pietas damnat. Hoc abuſu nihil indignius, nihil Chriſtiano nomini detrimentoſius, adeoque ſummo ſtudio & omni induſtria vitandus.

Sed, miſſis hiſce & ſimilibus ad abuſum CALICUM EUCHARISTICORUM accedimus. Hic non unus ac ſimplex, ſed varius & multiplex ſuo merito habetur. Hic autem

De hoc loco magna controverſia, quam Dn. Pfeiffe-rus in *Dubiis vexatis pag.* excut. ventilat. Sed ea ſententia arridet, quam habet doctiſſimus

Hiſpanus Johannes Alba in *Selectis Annot. in Script. Sacram. pag.* XXIII, & ſeqq.

autem ſpectari poteſt vel in primitiva & adultiori, vel, in ſeniori & impuriori eccleſia Pontificia.

Ad illam pertinet EUCHARISTICORUM CALICUM a collo ſuſpenſio. De hac Gregorius Turonenſis in *libro de Gloria Confeſſorum Cap. XXII.* ubi de Maximo Abbate loquitur: *Qui occulere quod erat cupiens apud inſulam barbaram monaſterii Lugdunenſis peregrinari expetiit, manifeſtatus autem & ibi ad patriam redire diſpoſuit. Denique dum Ararim fluvium tranſire cuperet, nave impleta demergitur, ac ipſe Sacerdos pelago operitur, habens ad collum cum Evangeliorum libro miniſterium quotidianum, id eſt patenulam parvam cum Calice.* Hoc ipſum ſuo merito ad primitivæ eccleſiæ ſuperſtitionem, de qua eligans Diatribe confici poſſet, referri poteſt. De pane benedictio idem eſſe factum, certum quidem eſt, ſed non vacat in præſentia ejus contemplationi vacare.

Huic adfinis videtur CALICIS & CRUCIS ſuper pectus Sacerdotis vita defuncti collocatio. De hac Amalarius Fortunatus de *Eccleſ. Officiis libr. IV. Cap. XLI. Aperte Dominus Beda declarat exſequiis S. Cuthberti, quomodo veſtiri oporteat Sacerdotem defunctum, ita enim ſcribit de ejus exſequiis. Poſtquam ergo S. memoriæ Cuthbertus Epiſcopus peracta communione elatis oculis & manibus ad Deum commendans ei animam ſuam, & emittens Spiritum, ſedensque*

densque ſine genitu obiit in via Patrum, a navigantibus inſulam noſtram delatus, toto corpore lavato, capite ſudario circumdato. Oblata ſupra pectus ſanctum poſita, veſtimento ſacerdotali indutus & obviam Chriſto calceamentis ſuis præparatus in ſindone cerata involutus. Vbi *Oblata* exponitur *Calix* non nemini. Sed, errare in eo videtur. *Oblata* enim nomine non *Calix*, ſed panis ille parvulus uſui SS. euchariſtiæ adaptat⁹, ejus ætatis Scriptoribus venire ſolet. Id Iſo Magiſter de *Miraculis S. Othmari libr. I. Cap. III.* clariſſime tradit, inquiens: *Sub capite autem & circa pectus viri Dei quædam panis rotulæ , quæ vulgo Oblatæ dicuntur, ita illeſæ atque ab omni corruptione extraneæ ab eodem Epiſcopo inveniebantur, ut in nulla omnino parte colorem vel ſpecimen ſui amittentes adſpicientium oculis infra ſpatium ipſius hebdomadæ viderentur eſſe confectæ.*

Interim de CALICE EUCHARISTICO idem certum eſt. Nam, de S. Birinio Epiſcopo Surius *Tomo VI.* die III. *Decembr.* refert: *Inveniſſe Corpus Epiſcopi integrum cum duplici ſtola & infula rubra e panno ſerico atque cum Cruce e metallo confecta pectori ejus impoſita. Denique cum Calice ad umbilicum ejus poſito.* Ecquid clarius?

Alium Calicum euchariſticorum abuſum animadverto in Francis. Hi capta Conſtantinopoli ex Calicibus euchariſticis

peculiare genus ſortilegii conſtituiſſe leguntur. Nicetas Choniates in *Ann.Conſtant. Status fol.* DCXLV. hiſce refert: Δεῆσαν δὲ καὶ βασιλέα χρεωθῆναι. εἰς τὸν μέγιστον νεὼν παραγίνονται τῶν ὀπαδῶν τοῦ χριστοῦ, ἐκεῖσε γὰρ συνερχόμενοι περὶ τῶν πρακτέων σφίσιν ἐβουλεύοντο, καὶ τὰ μὲν πρῶτα κατά τι πάτριον ἔθιμον κρατῆρας τέσσαρας στιχηδὸν ἐσκέπτοντο διαθέσθαι, ὧν εἰς τὴν ἀναίμακτον θυσίαν στέγειν ἤμελλε, καὶ οὕτως ἐνδοῦναι τοῖς θυηπόλοις, ἐφ' ἑκάστῃ κλήσει τῶν εἰς ἀρχὴν ἐπιλεγέντων αἴρειν ἵνα τῶν σκύφων καὶ προσάγειν αὐτοῖς. Ἐκεῖνος δὲ ἦ ὁ τῶν λοιπῶν εἰς τὴν ἀρχὴν προκριθησόμενος, ὁ καὶ λαχὼν τὸ ποτήριον τὸ τοῦ θείου σώματος καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ μέτοχον. *Jam quum Imperator creandus eſſet in ædem S. Apoſtolorum deliberandi ergo convenere: ac principio patrio quodam ritu, pro numero candidatorum quatuor Calices ordine collocare inſtituerunt, quorum unus incruentam victimam contineret, cæteris vacuis, eosque tradere totidem ſacerdotibus, ut ad cujusque principis nomen unum tollerent & eis redderent. Imperium vero penes eum futurum erat, qui eum calicem accepiſſet, in quo divinum corpus & ſangvis Chriſti eſſet.* Abuſus ſane! minime laudandus. Scilicet, epulo illo ſacró multis modis abutebantur, hodieque etiam in Papatu abutuntur, de qua eruditam Diatribam conficere quisquam poſſet.

Alium talis EUCHARISTICI CALICIS abuſum animadverto ex B. Proſpero *Collat. XXII.*

XXII. *Cap. VI.* Narratur ibi de puella a Diabolo obſeſſa, quæ quum panem benedictum accepiſſet, diaboli obſeſſione impeditum ipſi eſt iter per guttur. Huic auxilium tulere adplicando CALICEM EUCHARISTICUM. Verba auctoris ſunt hæc: *Manu igitur faciem ejus ſuſtentante Sacerdote, ne ſanctum projiceret, a quodam Diacono ſuggeſtum eſt, ut calicem ſalutarem gutturi ejus Pontifex adplicaret. Quod ut factum eſt, ſtatim ut locum illum, quem Diabolus obſederat, Salvatoris noſtri imperio reliquit.*

Aliud exemplum apud D. Bernhardum reperire licet *libr. II. ejus Vitæ Cap. III. Expleta oratione Dominica efficacius hoſtem aggreditur. Patenæ ſiquidem Calicis ſacrum Domini corpus imponens, talia loquebatur. Adeſt ille, qui pro noſtra ſalute paſſurus. Nunc*, inquit, *Princeps mundi ejicitur foras.* Confer doctiſſimum Martinum Delrionem *libr. VI. Diſq. Magic. Cap. II. Sect. III.*

Alium Calicum euchariſticorum abuſum in ſuſpenſione eorum coram altari declaratum animadvertere poſſem, ſed nolo diutius ei enarrando inſiſtere, in primis quod eum, quem enarravimus, abuſus gradum non contingat. Vide Anaſtaſium in *Vita Leonis III.* Et Cardinalem Johannem Bonam *libr. I. Rer. Liturgic. Cap. dicto.*

CAPUT

Caput XIX.

De

Calicum Euchariſticorum abuſu recentiori.

Vidimus hactenus abuſum CALICIS EUCHARISTICI in adultiori Chriſti eccleſia, nunc ordinis ratio flagitat, in decrepita & adulterata Pontificiorum ædicula eumdem contemplari. Non ſimplex autem, ſed varius ille ſuo merito eſt abuſus. Vt enim hæc eorum eccleſia, quanta quanta eſt, ſuperſtitionibus penitus immerſa eſt, ſic eidem quoque circa Calicem euchariſticum temere indulſit.

Id ſane! multis indiciis convictum palam & manifeſtum eſt. Et principio quidem, quod Calicibus illis non aliter uſi fuerint quam ATRAMENTARIIS in ſcribendis adverſus Hæreticos edictis, vel ſiquid alias graviſſime confirmatum ire voluere. Spondanus, Baronii Epitomator haud ignavus ad *Annum Chriſti DCXLVIII.* de hoc argumento talia profert, quæ lectori Chriſtiano, hypotheſin Pontificiam de transſubſtantiatione conſideranti, merito horrorem incutere poſſunt. Audiamus: *Hoc ipſo anno,* ait, *Theodorus Papa collecta pariter SYNODO, quum ipſam Monothelitarum hæreſin, tum*

ejus caput Paulum Conſtantinopolitanum fruſtra hactenus ejusdem Pontificis literis commonitum ſimili anathemate perculit, nec Paulum duntaxat ſed & Pyrrhum ejusdem eccleſiæ olim Patriarcham, qui in errorem relapſus erat opera Olympii Exarchi hæretici audaciſſimi. De Pauli namque damnatione teſtis eſt Anaſtaſius in Theodoro. Pyrrhi vero lapſum poſt pœnitentiam etiam adſerunt annales Græci, nec non Anaſtaſius eodem loco & S. Maximus in Epiſtola ad Monachos Siculos ac denuo Martinus Papa in Lateranenſi Synodo Actione prima — Quinimo, addunt annales Theodorum Papam ad Sepulchrum S. Petri accedentem de Sangvine Chriſti e Calice deſtillato in atramentum depoſitionem Pyrrhi excommunicati conſcripſiſſe. Haut tamen aliqua hujusmodi maledictionis in Ritibus S. eccleſiæ Romanæ reperitur eſſe præſcripta lex, vel factum ipſum aliquo alio quod ſciamus, declaratum exemplo, quod apud Græcos poſt hæc etiam factum legimus in Octava Oecumenica Synodo adverſus Photium anno DCCCLXIX.

Cæſar Baronius *Tom. IIX. Annalium num. XXXIX. de eo in actis integris nihil reperiri* animadvertit. Sed, videtur purpuratus ille Pater auctoritati ſedis Papalis, in qua conſervanda & tuenda quantus quantus eſt, totus eſt, hoc ipſo ſive ſilentio, ſive diſſimulatione, conſultum velle. Certe Nicetas in *vita S. Ignatii Conſtantinopolitani* & docet & confirmat: *Subſcripſiſſe Epiſcopos damnationi*

mmationi Pſeudo-Patriarchæ, calamo intincto in ſangvine Domini, vice atramenti, quod ſane! horrendum eſt. Adſerit etiam Cardinalis Bona *libr. II. Rer. Liturg. Cap. XVIII.*

Idem contigit in pactis pacis cauſſa cum Carolo Calvo & Bernardo Comite initis, ceu tradit Odo Aribertus in *Fragmento,* quod Stephanus Baluzius in *Notis ad Agobardum pag. CXXXIX.* vulgavit, conſilio Guilielmi Maſnavii, Senatoris Tholoſani. *Pace itaque,* inquit, *cum ſangvine Euchariſtico ſeparatim per Regem & Comitem formata & obſignata Bernardus Comes Tholoſanus ex Barcinonenſi Tholoſam venit & Regem Carolum in Cœnobio S. Saturiani juxta Tholoſam adoravit. Quumq. Rex læva manu, tamquam ſublevandi gratia Comitem adprehendiſſet altera pugione in latus ejus adacta, cum crudeliter interemit non ſine crimine fidei & religionis violatæ, nec ſine ſuſpicione patrati parricidii.* Confer Catellum in *Hiſtoria Comitum Tholoſanorum Cap. IIX.*

Equidem! injuſtum eſt, interventu ſangvinis vel vini conſecrati pacta, transacta, federa &c. confirmare & ſtabilire. A qua conſvetudine, utpote fini ſacroſanctæ euchariſtiæ a Chriſto deſtinato abſtineant Chriſtiani: eſt quippe profanatio ejus ſacramenti, quam non inultam auferent, qui illud violare ſibi ſumunt. In primis ſi compotationibus publicis, ut conſvetudo fert, a tali actu ſacro indulgeant, & Baccho litent.

Nec

Nec tamen intra hoſce Cancellos abuſus Calicis euchariſtici in Eccleſia Pontificia ſubſtitit, ſed ulterius quoque ſeſe porrexit. Etenim, per grande nefas & ſcelus morte piandum CALIX ille EUCHARISTICUS a ſancta Chriſti & inſtitutione & intentione in CALICEM ABLUTIONIS omni ſeculo inauditum, tranſiit. Ex hoc non benedictum, ſed vulgare & commune duntaxat vinum, ad hoſtiam, tanto commodius uſurpandam, bibendum porrigunt, & quidem Laicis, ceu vocant.

De hoc CALICE ſœpiſſime in *Ordine Romano* mentio exſtat. Quatuor eorum Hittorpius edidit, ceu notum eſt, quos recenſere, nihil adtinet. In iis hujus CALICIS ABLUTIONIS non una fit mentio. Cardinalis Perronius in *Reſponſione ad ſecundam magnæ Britanniæ Regis inſtantiam pag. DCCCCLXV.* eum ritum recenſet, inquiens: *Car nous apprenons par l' ancien Ordre Romain, que ne pouuant pa diſtribuer la Communion* à tout le *Pauple, de ce, qui avoit eſté conſacré dans un ſeul Calice, & ne pouuant pas auſſi, ny conſacrer en un autre vaiſſe au qu'en un Calice, ny conſacrer pluſieurs Calices à la fois, ny faire pluſieurs conſecrations en une meſne Synaxe, on avoit de grandes urnes on amphores pleines de Vin, dedans leſquèlles on verſoit une partie du Vin, qui avoit eſté conſacré au Calice, comme preſuppoſant, que ce peu de Vin conſacré ſe mesloit*

par

par toutes les parties del' autre, & de ceſte mixtion, on donnoit la Communion au Pauple: mais en fin & le peril del' irreverence, & la rarité des Communions que cét uſage rendoit moins frequentes, & le degouſt de ceux, qui faiſoient difficulté & principalement en temps de contagion, de boire apres les autres, ayant fait peu a pen abandonner ceſte conſtuner & contenter les Communiants de communier ſous l' eſpeu ſeulé du pain. Sic Perronius ille. Cum quo facit Cardinalis Robertus Bellarminus *libr. IV. Cap. XXIV.* cujus verba, quum ſint plurima, non poſſumus adſcribere. Concludit tamdem poſt multum longumque verborum tractum: *Neq, fuit mos umquam conſecrandi vinum in altari in calice aliquo vaſtiſſimo, qui tantum Vini caperet, quantum populo univerſo ſufficiat. Debuit enim calix non adeo magnus eſſe, ut poſſit a Sacerdote elevari & a Diacono huc & illuc deferri. Neque inveniuntur alli Calices tam magni cum tamen multi in multis Eccleſiis antiquiſſimi inveniantur; ergo neceſſe fuit, ut idem Calix ſæpius repleretur inter ipſam cœnæ actionem, ut modo facimus in diſtribuendo vino ad ablutionem. Certum autem eſt non potuiſſe in eadem actione repeti ſæpius conſecrationem: Vinum igitur, non Sangvis Domini populis dabatur.* Hæc Bellarminus.

Hic CALIX eſt novum inventum, quod Sacroſanctæ cœnæ auctor Dominus Jeſus Chriſtus ignoravit. Non priſcæ & primiti-

væ

væ eccleſiæ placuit, utut lotionum longe ſtudioſiſſima alias fuerit. Finxit autem notha eccleſia hoc ABLUTIONIS POCULUM, ut panis euchariſticus oris fornici minus adhæreret, ſed, in ſtomachum per faucis viam impeditius tranſiret.

Viget autem, vel adhuc in eccleſia Pontificia vigebitque quamdiu Communio ſub utraque a Chriſto inſtituta exſulabit. Exſulabit vero, quamdiu Concilii Tridentini veritas ſtabit. Stabit autem quamdiu pietas in Domini Jeſu Chriſti Sacramentum exſulabit. Ipſa viderit.

Alius CALICIS EUCHARISTICI abuſus adhuc notandus. Is vero eo abſolvitur, quod ſchedulæ votivæ electionis Pontificis cauſſa injiciantur, in CALICEM, de quibus judicium de electo Pontifice fiat.

Hunc αὐτόπτης Johannes Baptiſta Caſalius in de *Veter. Sacr. Chriſt. Rit. Cap. LXIX.* fuſius nobis exponit, inquiens: *Jure*, inquit, *tres tantum ex Patribus ad altare adſcendentes primi videlicet inter Epiſcopos, Presbyteros atq; Diaconos, Calicem ſacrificii, in quo ea die fuerat conſecratum, ad medium altare conſtituentes, cuſtodes ipſi omnium adſtitere, atque inſpectores poſt hæc eodem ordine proceſſerunt reliqui atque ante altare in genua procidentes codicillum ſigillatim in calicem demiſere. Id vero poſteaquam ab omnibus factum eſt, tres illi, quos diximus, Ca-*

licem ipſum ad cæteros inferius conſidentes ſublatum altius retulerunt &c.

In *Ceremoniali Gregorii* XV. hic actus hiſce deſcribitur : *Quilibet Cardinalis propriam ſchedulam poſtquam illam ſcripſerit, obſignaverit & complicaverit, duobus primis digitis ſumit, ac elevata manu palam deferre ad altare penes quod ſtant ſcrutatores & in quo eſt Calix magnus ad recipiendas ſchedulas paratus, & patena coopertus, ibique genu flectens aliquantulum orabit, deinde ſurgens alta & intelligibili voce jurabit in hanc formam, quæ in tabella ſuper altari poſita deſcripta habetur : TESTOR CHRISTUM DOMINUM QUI ME JUDICATURUS EST, ME ELIGERE, QUEM SECUNDUM DEUM JUDICO ELIGI DEBERE, ET QUOD ILLUM IN ACCESSU PRÆSTABO. Poſt hæc ſchedulam in pateram ponet, & per pateram mittet in Calicem, quo facto inclinabit ſe ad altare & ad ſuum locum revertetur.* Et hæc de abuſibus CALICUM EUCHARISTICORUM. Plura adderem, ſed, hæc ſufficere puto.

CAPUT

Vide I. Con- [illegible] *Hiſto- [illegible] Electionis Vrbani* IIX. Onuphrium Panvinium *Adnotat ad* Clementis *IV. Vitam* Platinæ Pii IV. Bullam *de Conclavi.* Johannem Fridericum Meyerum de *Electione Pontificis Romani.* Inprimis Iohannes Georgius Fueslinus hanc materiam perſequitur, in erudito libro de *Conclavibus Pontif. Rom. libr. Diſſert.* IV. *Sect.* III. §. LVI.

Caput XX.
De
Calicum Eucharisticorum Fractione.

Quemadmodum CALICES, & reliqua vaſa euchariſtica omni veneratione & ſanctimonia ſunt excepta, ſine dubio, quod Deo divinoque miniſterio eſſent ſacra & devota; ſic ea quam fideliſſime cuſtodiverunt. Id ex S. Auguſtino diſcere habemus. Hic *Enarrat. II. in Pſalm. CXIII.* ait: *Sed, enim & nos plenoque inſtrumenta & vaſa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in uſum celebrandorum ſacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata* ſancta *dicuntur.* Et alibi eo quoque tendit *Epiſt. XLI. ad Licentium*, inquiens: *Si calicem aureum inveniſſes, donares illum eccleſiæ Dei*, ut rem ſacram & ſanctam. Quomodo etiam audiunt Gregorio Nazianzeno *Orat. XXV.*

In Romana eccleſia eo nomine gaudent, quod ab Epiſcopo peculiari quodam Chriſmate conſecrata ſint. In *Miſſali Part. II. Tit. I.* Confer Pontificale Romanum *Tit. de Benedictione Vaſorum pag. CCCXLII.* Hinc SACRA audiunt Sixto de *Conſecr. Diſtinct. C, in Sancta.* Silveſter Pontifex expreſſe

juſſit *Calicem ungi*, teſte Innocentio III. in *Epiſt Decret.*

Inde eſt, quod non promiſcue omnibus ea contingere ſit integrum. Non licuit Subdiaconis ante Concilium Laodicenum *Cap. XXI.* Agathenſe *Cap. LXVI.* Hoc quippe ſancit: *Non oportere inſacratos miniſtros vaſa Dominica contingere.* In *Concilio Braccarenſi* tamen 1. *Cap. XXVIII.* iis eſt permiſſum. Reliquis vero inferioris ordinis miniſtris denegatur in *Concilio Roman. II. Cap. IX.* niſi mappulæ interventu fiat. In *Ordine Romano* Acolythis contactus copia facta eſt. Sine conceſſione autem Canonica num contactus cum peccato mortali conjunctus ſit, Bonacina diſputat *Diſp. IV. Quæſt. ult. Puncto IX.*

Quod ſi contingere non licuerit, multo minus profanis extradere. Id palam eſt ex *Hiſtoria S. Laurentii* Martyris apud Prudentium *Hymno II.* Περὶ ςεφάνων. S. Ambroſium *libr. II. Offic.* & ex Actis Proconſularibus apud Baronium in Annalibus. Huic enim erat religio Calices euchariſticos cum reliquis vaſis ſacris poſtulanti Tyranno extradere.

Quamobrem Gregorius Nazianzenus innocentiam vitæ & officii diligentiam probaturus hiſce utitur *Orat. XXV.* Ποῖα λειτεργικὰ σκεύη, καὶ τοῖς πολλοῖς ἄψαυςα χερ-

σὶν

τῶν ἀνόμων ἐξέδωκα, *Qualia vaſa ſacrificatoria & multis intangibilia manibus iniquorum*, gentilium, *tradidi?*

Quod ſi autem vaſa illa ſacra & ſanctos illos Calices euchariſticos contingere & extradere nefas fuit, nefas quoque fuerit eosdem confringere. Calicum autem illa fractio gemina reperitur. Alia fortuita. alia ſpontanea & proæretica dici poſſet. Illa vel nullam, vel leviſſimam latiſſimamque culpam habet. Hæc multam, vel etiam laudem.

De illa exſtat locus apud Gregorium Turonenſem *libr. I. Mirac. Tom. XI. Bibliothecæ Patr. fol. DCCCXLIII. Etiam*, inquit, *apud eamdem urbem baſilica S. Laurentii Levitæ, cujus ſupra meminimus, ibique admirabili pulchritudine Calix cryſtallinus habebatur. Acta vero quadam ſolemnitate dum per Diaconum ad S. altare obferretur, elapſus manu in terram ruit, & in fruſta comminutus eſt. At Diaconus pallidus & exſangvis collecta diligenter fragmenta vaſculi ſuper altare poſuit, non diffiſus quod eum poſſit virtus martyris ſolidare. Denique in vigiliis lacrumis atque oratione deducta nocte, requiſitum Calicem reperit ſuper altare ſolidatum. Quæ virtus cum populis nunciata fuiſſet, tanta animos devotione ſuccendit, ut a Sacerdote peterent nova in honorem ejus Deo ſolemnia celebraturi. Tunc Pontifex loci ſuſpenſo ſuper altari*

Calice ex tunc agens & in poſterum per ſingulos annos devotiſſime feſta inſtituit celebrari. Hæc Gregorius, cujus hiſtoriam totidem verbis recitare volupe fuit.

De vulgari Calice ligneo, ſed ſacrato S. Remigii precibus idem conſtat ex Baronii *Annalibus anno MXLIX. num. XXVI.* Verba ſunt hæc: *Dum quodam tempore Leo venerabilis Pontifex eccleſiaſticis intentus negotiis in Gallia moraretur, a quodam Abbate miniſterii S. Confeſſoris Chriſti Remigii ligneum poculum benedictionis cauſſa oblatum ſuſcepit. Quod videlicet pro amore S. Pontificis valde diligebat, ac in eo refectionis hora in menſa ſedens aureis & argenteis poſthabitis bibere conſueverat. Igitur tunc quadam die ad menſam ſedenti pincerna ex more poculum vellet porrigere, qua neſcio, negligentia tenentis de manu cecidit, moxque confractum in partes eſt. Quum denique beatiſſimus Papa bis terque vinum requireret & pincerna hac de cauſſa venire differret, nunciatum eſt ei, quod poculum, in quo bibere conſueverat, de manu ferentis decidiſſet, & fractum eſſet. Quod ille audiens valde triſtatus eſt non tamtum damno ſcyphi, quantum quod vaſe de miniſterio S. Remigii benedictionis cauſſa accepto ſe fruſtratum cernebat, ſibiq; adſtantibus, fractum mihi,* inquit, *ſcyphum adferte. Quumque ſibi allatus fuiſſet cernens utramque fracturam, omnipotentem Dominum deprecatus eſt, ut meritis S. Remigii fractum ſibi ſcyphum,*

ſcyphum, quem pro amore ejus tantopere diligebat, reſtitueret, moxque alteram partem alteri adjunxit, ſicque eodem momento ſolidatus eſt, ut nullum in eo, quod fractus fuiſſet, indicium remaneret. Hæc autem fractio fortuita eſt. Remedium & ſanatio minus laudabilis.

Proæretica eſt vel laudabilis, vel vituperabilis. De priori exſtat locus apud S. Ambroſium *libr. II. Offic. Tom. I. Oper. Cap. XXVIII. Melius eſt pro miſericordia cauſſas præſtare, vel invidiam perpeti, quam prætendere inclementiam: ut nos aliquando in invidiam incidimus, qui confregerimus vaſa myſtica, ut captivos redimeremus.* Et ſub finem hujus capitis ſcribit: *In his tribus generibus vaſa eccleſiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. Opus eſt ut de Eccleſia myſtici poculi forma non exeat, ne ad uſus nefarios ſacri Calicis miniſterium transferatur. Ideo intra eccleſiam primum quæſita ſunt vaſa, quæ initiata non eſſent: deinde comminuta, poſtremo conflata, per minutas erogationes diſpenſata egentibus captivorum quoque preciis profecerunt.* Quibus verbis cauſſa hujus confractionis ſimul pateſcit.

De altera vero illaudabili exemplum in Donatiſtis occurrit, qui Calices euchariſticos aureos & argenteos nefarie fractos abſtulerunt. Optatus Milevitanus *libr. VI. Hoc immane facinus geminatum eſt, dum fregiſtis etiam Calices, Chriſti ſangvinis portatores, quo-*

rum ſpecies revocaſtis in maſſas mercem nefariis nundinis procurantes, ad quem nec emtores eligere voluiſtis ſacrilegi, dum inconſiderate vendiſtis. Paſſi etiam eſtis comburi manus veſtras ; quibus ante nos eosdem Calices tractabatis eam rem tamen paſſim vendi juſſiſtis.

Ex quo videre licet, primo: quanti pretii Calices illi euchariſtici olim fuerint? Habentur equidem ! *Portatores ſangvinis Chriſti.* Scite ! bene ! pulchre ! Hoc vero nomen eis competit, eo quod vinum conſecratum per Diaconos ad abſentes in iis delatum fuerit. Sic enim ſolemne in primitiva eccleſia erat ; prout ex omni hiſtoria Eccleſiæ liquet. Deinde horrendum facinus habitum fuiſſe euchariſticos calices frangere, horrendiſſimum in profanos uſus vertere.

S. Athanaſius locum de eo ſuggerit in *Apologia II.* Τὸ μυστικὸν ποτήριον, ὅτι ἂν θραῦσαι ἀφ' ἑκόντες ἀσεβῆ ποιεῖ τὸν ἐπικεχειρηκότα παρὰ μόνοις τοῖς νομίμως προεστῶσιν εὑρίσκεται. οὗτος ὁ τρόπος τούτου τοῦ ποτηρίου μόνος, ἄλλος οὐδεὶς τοῦτο ὑμεῖς νομίμως προπίνετε τοῖς λαοῖς, τοῦτο ὑμεῖς ἀπὸ τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος παρελάβετε. Τοῦτο μόνον ἐστι τῶν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας προεστώτων. Μόνον γὰρ ὑμῶν ἐστι προπίνειν τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ. *Myſticum poculum , quod impium eum reddit, qui id ultro frangit, nusquam apud legitimos eccleſiæ præſides invenias. Hic enim unus*

eſt uſus Calicis & præter eum alius nullus, eoque ſolo vos legitimo ritu propinatis populo eumque vos ex Canone eccleſiaſtico accepiſtis, idemque duntaxat apud eos habetur, qui eccleſiis præſunt. Solum enim veſtrum eſt propinare ſangvinem Chriſti. Ecce! grande ſacrilegium de induſtria Calices frangere.

Hoc nomine S. Athanaſio olim gravis & grandis adverſaria conſtituta legitur. Vide Baron. *Tom. III. Annal. ad Annum Chriſti CCCXXVIII.* quam accuſationem & cauſſam Meletiani adverſus Athanaſium & Macarium admodum urgent, in quo negotio operoſo opera Iſchyri in primis abuſi ſunt, prout ejus confeſſio probat.

Athanaſius *Apologia II.* hoc intentatum crimen fracti Calicis non modo ipſus deſcribit, ſed, modeſte etiam diluit. *Ille*, Iſchyrus, *ubi a morbo ſurrexit & ab amicis atque adeo ſuomet ipſius Patre coerceretur, ad Meletianos confugit, qui re cum Euſebianis communicata iſtiusmodi calumniam compoſuerunt. Calicem a Macario fractum, Arſenium autem Epiſcopum a me interfectum eſſe.*

Hanc Calumniam Athanaſio intentatam Iſchyrus in *Epiſtola ad Athanaſium* diluit, inquiens: *Ego Deo in teſtem adhibito pro excuſatione mea dico, me nihil eorum, quæ illi a te facta jactant, conſcium eſſe, neque ullum calicem con-*

fractum ſcire, aut menſam ſubverſam eſſe, neque ad iſta omnia calumnianda eorum vi adactum eſſe.

In Concilio Tyrio eadem calumnia brachia movit. Hinc Sozomenus *libr. II. Hiſt. Ecclef. Cap. XXIV.* ſcribit: *Callinicus Epiſcopus & Iſchyrion quidam ex factione Johannis eum accuſaverant, quod Calicem myſticum fregerat, quodque ſolium Epiſcopale deturbarat.*

Quam fervide autem calumnia illa ventilata & qui diluta, ex *Epiſtola Synodali Concilii Alex.* apud Athanaſium *Apologia II.* liquet. *Poculum autem,* inquit, *myſticum, quod aut quonam in loco a Macario fractum eſt? Id enim ſurſum atque deorſum obvolitare jactant. Sed tamen illi ſummam ejus criminis in Athanaſium referunt, quod ne in Macarium quidem, qui victus non eſt, referri debet. Nec pudet eos coram Catechumenis, & quod pejus eſt, ethnicis ita de myſteriis tragice agere, quum oporteat, ſicut ſcriptum eſt myſterium Regis celare* &c. Merita cauſſæ hiſce perſequitur: *Atqui locus ille, in quo poculum fractum, jactant? Eccleſia non erat, neque quiſquam Presbyterorum ei loco vicinus, nec dies, qua id factum a Macario volunt, Dominica. Quum igitur neque eccleſia ibi eſſet, neque ſacra fierent, neque dies hoc ipſum requireret, quale aut quando aut ubi myſticum illud poculum fractum eſt? Pocula multa paſſim in ædibus atque adeo in medio foro*

haberi,

haberi, nemini dubium, quæ colliſa collidentem non faciunt impium &c.

Notari autem meretur, quod talis nefarius & temerarius Calicis euchariſtici fractor habeatur Athanaſio Ἀσεβῆς. Hic autem vi originationis ille eſt, *qui nihil colit.* Dictum teſte Juſtino Martyre *Apolog. II.* Διὰ τὸ μὴ σέβειν. *Quod non colat, puta Deum.*

Tales qui ſunt, eos divina vindicta rigidiori flagello perſequuta legitur. De Donatiſtis ex Optato Milevitano conſtat. Verba ejus *libr. II. adv. Parmen.* hæc ſunt: *Et, quod vobis leve videtur, facinus immane commiſſum eſt, ut omnia ſacroſancta ſupra memorati veſtri Epiſcopi violarent juſſerunt euchariſtiam canibus perdi non ſine ſigno divini judicii. Nam, iidem canes accenſi rabie, ipſos Dominos ſuos quaſi latrones ſancti corporis reos, dente vindice, tamquam ignotos & inimicos lacerarunt.*

In eccleſia Romana fractio illa euchariſtico Calici illam ſanctitatem aufert. Per hanc ſi inhabilis factus eſt Calix, excidit continuo ſua, quam ante habebat, ſanctitate. Hæc ab ejus Conſecratione dependet. Sublata autem hac tollitur illa.

Quamobrem Ritualiſtæ in *Miſſ. Part. II. Tit. I.* docent: *Calix & patena ordinarie non conſecrantur, niſi ab Epiſcopo, duratque Conſecratio Calicis & patenæ quamdiu manent integra.*

Amittitur

Amittitur autem ſi notabiliter frangantur ita ut non habeant formam & integritatem, quæ ad convenientem eorum uſum neceſſaria eſt. Confer Laymannum in *Theologia Morali libr. V. Tract. V. Cap. VI. Num. VI.*

Nos vero in fractis Calicibus euchariſticis noſtrum de CALICIBUS EUCHARISTICIS librum deſinere jubemus. Pro præſtita autem divinæ gratiæ munificentia CALICEM SALUTIS cum magna multaque gratiarum actione accipimus, & Deo ex animo libantes integramus:

GLORIA!

Adi quoque Hermannum Buſenbaum in *Medulla Theol. Moralis Libr.* VI. *Tract.* III. *Dub.* IV. *pag.* DLXXIII. Paludanum in IV. *Diſt.* XIII. *Quæſt.* II. *Art.* V. *Concl.* II. Antonium Fernandes de Moure in *Examine Theolog. moralis Part.* III. *Cap.* V. §. XII. *pag.* CCCCLXVII.

JOHANNIS FAES
MANTISSA
In
JOH. DOVGHTEI
Anglo-Britanni
De
CALICIBVS
EVCHARISTICIS
Veterum Chriſtianorum
LIBRUM
Plane ſingularem & rarum.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. III NAPOLI

JOHANNIS FAES MANTISSA In JOHANNIS DOUGHTEI DE CALICIBUS EUCHARISTICIS Librum.

QUamvis vero tam adfine & propinquum ſit verbum celeberrimi Juſti Lipſii, quo utitur in *Allocutione* præmiſſa *Notis in libros de Cruce pag. CLXXVIII.* quam quod maxume, vereq; in noſtrum ſeculum cadat: *Pleriſque pulchrum nonniſi* Τὰς ἀκάνθας τῶν βιβλίων ἐκλέγειν. Nolumus tamen ad eorum mores noſtros componere, ſed ſanctius, cum aliorum, tum *Doughtei* labores habere. Iis vero ſi pauca addiderimus, nemo nobis vitio verte-

verterit, ſed illud potius Lipſii in memoriam ſibi revocet: *In tali vario & diffuſo ſcribendi genere alius alio plura invenire poteſt, nemo OMNIA.*

Ad Caput I. pag. 12.

§. *Haut quidem.*

Me non fugit, inter Proteſtantes eſſe, quibus ea adpellationis CALICIS ratio ad palatum eſt, Sed, religio ſemper mihi fuit, eamdem meam facere. Interim non ſine ratione a Doughteio tangitur. Proſtant enim in medio & ſaniores & terſiores rationes, in quibus familiam ducere dixeris Cornelii Janſenii Gandavenſis *Comm. in Concordiam Evang. Cap. CIV. fol. XI.* dicentis: *Intelligit per* calicem, *Hebraica phraſi, ſupplicium, quod ſibi a Patre paratum erat aditurum, Frequens eſt enim in Scripturis hæc metaphora, qua per* Calicem, *aut portionem* Calicis, *hoc eſt, ad menſam vini portionem, certa cujusque ſors a Deo homini parata, ſive bona, ſive mala ſignificatur. Mutuata vero eſt a potantium veteri ritu, quo per modimperatorem, hoc eſt convivii præſidem ſui cuique vini portio quam exhaurire deberet, ſtatuebatur.* Longius autem petita eſt ratio Johannis Maldonati *Comment. in Matth. XX.* Proteſtantium illam inſinuatam adprobans. Faceſſat igitur. Faceſſat etiam Johannis Feri *libr. III. Comm. in Matthæum Cap. XX. fol. CCLXXXIV.* Faceſſat Johannis Gagnæi *Scholiis in Matth. XX, pag. CII.*

Faceſſat

faceſſat Friderici Forneri, Epiſcopi Hebronenſis in *Paradiſo Evangelico Tom. I. pag. CCCCXCVII.* Placeat vero Adami Conzenii *Comment, in Matth, Cap. XX. Tom. I. fol. CCCLXXXII.* quamtumvis paullo poſt in Maldonati abire videatur. Placeat Theodori Bezæ in *Not. major. in Cap. XX. Matth.* apud Balduinum Walæum in *Comment. perpetuo in Evang. fol. CCXX.*

Ibidem §. *Genuinam*, p. 13.

Heic Doughtei animi moderatio, inter alia, eluceſcit, uſus nomine CALIX, quod alii Reformatorum cane & angve pejus fugere ſolent. Quo nomine Jacobus Gretſerus in *Muricibus Catholicæ & Germanicæ Antiq. Cap. XVI.* Emdenſes, in *libro de Ritibus Cœnæ*, & Didericum Jodocum Nahum in *Adſert. pag. XXX.* poſtulat. Et ſane! Tigurini in *Bibliis Germanicis* vocem *Calix* expungentes vertunt: Könd ihr trincken das Tranckh. Et 1. *Cor.* XI. Oder von dieſem Tranckh des HErrn trincket. Et denuo: Und trincket von dieſem Tranck. In verbis Inſtitutionis cœnæ Dominicæ efferunt: Trinck-Geſchirr, Et alias: Ein Tranck. Et *Cap.* X. *Calix benedictionis:* Das Trinck-Geſchirr der Danckſagung. Hollandorum Statuum auctoritate edita Biblia *Matth. XX. 22. Kondt ghy den Drinckbeker drincken* &c. §. XXII. *Mynen Drinckbeker ſult ghy vvel drincken.* Sic *Matth. XXVI. 27. Ende hy nam den Drinckbecker,*

becker. Alibi eodem modo. Theodorus Beza in ſua novi Teſtamenti verſione Veteris vulgati verſioni *Calix*, inducit *Poculum*. Id quod loca modo citata arguunt. Hinc Gretſerus ld. *pag. XCIX.* ſcribit: *Sic in verſione vernacula Matthæi & Lucæ ubique fugiunt iſti*, Reformati, Calicem *& vocem Germanicam* Kelch *non ſecus ac Diabolus crucem.* Sed, bona verba quæſo! Gretſere. Sunt, qui *Calicis* nomen non fugiunt. Quinimo, Johannis Piſcatoris verſio, vel ſola, intentatum illud crimen diluere poteſt. Illa enim ad exemplum verſionis Lutheri, ubique retinet nomen Kelch. Beza vero utitur *Calicis* nomine ſœpiſſime in *Diſput. de Cœna Domini adverſus Harchium Tom. III. Oper.* ut alios indelibatos modo relinquamus. In terminis oportet eſſe faciles, ſi de re conveniat. Interim, hæc Gretſeri mihi non diſplicent, quæ eo loco in medio proſtant: *Licet*, inquit ποτήριον, *quo uſi Evangeliſtæ, ſit vox generalis, ipſum tamen vas, in quo Chriſtus ſanguinem ſacratiſſimum diſcipulis bibendum porrexit utique certæ alicujus ſpeciei fuit: unde autem certius cognoſcamus, cujus ſpeciei fuerit, quam ex totius antiquitatis unanimi teſtimonio, quæ poculum hoc ſemper pro* calice *habuit? Vnde & vaſa in quibus poſtmodum eccleſia ſanguinem Dominicum conſecravit, nonniſi* κύλικας *&* calices *uſitatiſſima conſvetudine nominavit.*

Ad

Ad Caput II. pag. 17.

§. *S. Hieronymus.*

Quod de *Vino* S. Hieronymus narrat, non eſt in dubium vocandum. Doctiſſimus quidam Vir, cujus nomini parco, *Diſputatione de Baptiſmo* §. XXX. ſuſpicionem hallucinationis Hieronymo, librariis vero erroris, movere ſatagit, inquiens: *Neſcio num ſit hallucinatio Hieronymi, an error librariorum? Nam, vinum alibi non commemoratur.*

Verumenimvero, hic locus, quod pace ejus dicere liceat, ſeſe quam rectiſſime habet, nec Hieronymus, nec librarii quidquam admiſere, quod vel veritati, vel ea ætate receptæ conſvetudini adverſaretur. De induſtria S. Patrem *vini* meminiſſe, omnes ejus codices unanimi conſenſu teſtantur. Locus quoque S. Patri occaſionem de *vino* hoc differendi abunde ſuggerit. Eſaias quippe, cujus interpretem S. Pater agit, non commemorat *mel & lac*, ſed *lac* & *vinum*. Quod ſi S. Pater aliter diſſeruiſſet, extra oleas ſaltando, in adplicationem offendiſſet. Deinde, advocat etiam teſtimonium ex *Geneſ. XLIX. 12.* inquiens: *Vnde & Moſes* vinum & lac *in Chriſti intelligens paſſione, myſtico ſermone teſtatur*: Gratioſi oculi ejus a vino, & candidi dentes ejus a lacte. Nec memini quemquam Scholiaſtarum, in quibus Marianus Victorius Reatinus, hunc locum emendaſſe, vel emen-

dandum propoſuiſſe. Recte equidem ille ſeſe habet, nec ulla vel lima, vel penna indiget. Sic enim obtinuiſſe, Clemens Alexandrinus, Chriſtianorum ille Plutarchus, citato a Doughtejo loco ſumma fide tradit. Adeoque non inferendum: *Nam vinum alibi non memoratur.* Clementis autem locus extra omnem mendi ſuſpicionem jacet. Proinde etiam viri in ſtudio antiquitatis verſatiſſimi hunc Hieronymi locum, citra ullum contradictionis ſignum, in teſtimonium ritus veritatis in baptiſmo olim frequentati accipiunt: In his Johannes Baptiſta Caſalius de *Vet. Chriſt. Ritibus Cap. V.* Johannes Dallæus *libr. I. de Cultibus Latinorum Religioſis Cap. XV.* Gebhardus Theodorus Meier de *Initiamentis* §. *LXIX.* Apoſtolorum quidem ætate, nondum *vini* & *lactis*, vel *mellis* & *lactis* uſus in Baptiſmo erat, ſed ſimplex ritus immerſione duntaxat, & precibus conſtans. Sic enim Hugo Grotius *Epiſt. CXLV. ad Cordeſium* diſſerit: *Baptiſmus olim Chriſtianorum ſimplex fuit merſatione ſola conſtans.* Progreſſu vero temporis ſimplicitas illa in cumulum ivit, & cum ætate ſimul accrevit rituum infantia. Id quod Grotius pari modo animadvertit, inquiens; *Baptiſmo acceſſerunt ſecundo & deinceps ſeculis multæ rerum imagines ad loca quædam ſacrarum literarum alludentes, ut mos fuit veterum, non verbis tantum, ſed & ſignis con-*

ſpicuis

ſpicuis loqui, ut lactis & mellis guſtatio, aliaque paſſim obvia. Quæ Johanni Dallæo ad palatum quoque ſunt. Quæ vero huic, cum Bellarmino diſputanti dubia videbantur, ſic ſatis recte Doughtejus noſter expedit.

Ad Caput VI. pag. 74.

§. *Hieronymus.*

Hoc Bonifacii verbum non unis in locis repetitum exſtat. Hinc adpellatio orta eſt, *Sacerdotes lignei.* Stephanus Baluzius, vir inmediæ & infimæ Latinitatis auctoribus & eccleſiæ ritibus excellentiſſimus, *Notis ad Gratianum pag. DLIX.* adpellationis rationem adnectit, quod ſic dicti, *a Calicibus & baculis ligneis, quibus utebantur.*

De *baculo* Sacerdotali res omnis in proclivi eſt. Carolus Calvus ad Nicolaum PP. de cauſſa Ebonis: *Omnesque ſuffraganei, qui eo abſente ordinati fuerant, annulos & baculos, & ſuæ confirmationis ſcripta, more Gallicarum Eccleſiarum ab eo acceperunt.* Confer Carolum du Freſne in *Gloſſario Tom. I. fol. CCCCXXVI.* Hinc Gallorum verſus apud Coquillium in *Hiſtoria Nivernenſi pag. XL.* qui etiam placuere Danieli Claſenio *libr. de Religione Politica Capit. II.*

Confer Fivizanium Romanum *libr.* III. *De Cruce Romano Pontifici præferenda Cap.* IX. *pag.* CXII.

Au temps paſſé du ſiecle d'or,
Croſſe de bois, Eveſque d'or.
Maintenant changent les loix,
Croſſe d'or, Eveſque de bois.

 Latine

Adi quoque Severinum, Italum, in *Roma Sotterranea libr.* V. *Cap.* XXVIII. *pag.* DCXXI ubi legit: *Sacerdoti di oro, Calici de legno.*

Latine hæc ſic verteris:

Quum tempus eſſet aureum,
Pedum gerebant ligneum
Aurei miniſtri, jam pedum
Tenent ſuperbum lignei.

Proinde tales Sacerdotes etiam dictos animadverto *Baculoſos*, in *Præfatione Legum Hoeli Boni Regis Walliæ.* Verba ſunt hæc: *Omnes eccleſiaſticos dignitate baculoſos &c.* Formam deſcribit Hugo a S. Victore in *Speculo Eccleſ. Cap. VI.*

De Pontifice Romano quæritur, an ille baculo utatur? Innocentius Papa in *Actis pag. LXIV.* reſpondet: *Baculo paſtorali non utitur, tum propter hiſtoriam, tum etiam propter myſticam rationem.* Hanc quæſtionem ventilat erudite, Italus ille hodie celebris Johannes Ciampinus in *Diſſertatione Hiſtorica,* AN ROMANUS PONTIFEX BACULO PASTORALI UTATUR? quæ anno MDCXC. Romæ in forma Epiſtolæ ad Cardinalem Vrſinum prodiit. Hæc conſulatur. Adi etiam Carolum du Freſne *Tom. I. Gloſſarii* in voce *Ferula.*

Sed, baculo Pontificali miſſo, ad ligneos calices reverſi animadvertimus, eos in primis a cœnæ Sanctiſſimæ uſu prohibitos eſſe. Hinc phraſis eccleſiæ in *Concilio Rhemenſi tit. IIX.* apud Reginonem, Abbatem Prumienſem *libr. I. Cap. LVII. Nullus in ligneo calice præſumat cantare,* cœnam Dominicam admini-

adminiſtrare. Nam, miſſa, ſicut hodie, ſic ea tempeſtate *cantari* dicebatur. Sic in *Admonitione Synodali antiqua* ex Codice MS. monaſterii Rivipullenſis, apud Stephanum Baluzium, legitur: *Nullus in ligneo, vel vitreo calice audeat Miſſam cantare.* In *Pontificali Romano* Auguſtini Patricii de Picolominibus Epiſcopi Pientini, hæc ita propoſita inveniuntur: *Calix & patena ſint aurei, vel argentei, non ærei aut auricalchei, vitrii vel lignei.* Pluribus occupari, non opus fuerit.

Ad Caput VII. pag. 90.

§. *In hiſce* &c.

Ex hoc loco adparet, *vinum rubrum* apud primitivæ eccleſiæ Chriſtianos in ſacroſanctæ cœnæ uſu admodum frequens fuiſſe. Huic quippe Marcus Hæreticus *album* opponit, ut quidquam alias inuſitati, quod deinceps in *rubrum*, quemadmodum a Chriſtianis uſurpabatur, mutavit. Non eſt autem dubium, Chriſtianos veteres cum in aliis, tum in hoc mores Chriſti in noviſſima cœna declaratos imitari voluiſſe, utendo vino, non *albo*, ſed *rubro*. Hoc vero adhibitum fuiſſe, admodum probabile eſt. Etenim, in celebratione agni Paſchalis vinum tale *rubrum* bibebatur. Gloſſa enim Thalmudica totidē verbis deſiderat, שיהא ארום *ut ſit rubicundum.* Ratio a Thalmudiſtis hæc adnectitur: צריך שיהא בו טעם ומראה *Neceſſe putabant, ut eſſet in eo vino ſapor & adſpectus.*

adſpectus. מראה Levuſch in הלכות פסח *num. CLXXII. §. XI.* ſic dilucidat : מצוה לחזיר אחר יין אדום שדרכו להיות משובח מן הלבן: *Præceptum eſt, inquirere & comparare vinum rubrum; quia illud generoſius eſſe ſolet.* Et R. Mordechai ſcribit: מפני שדרכו להיות משובח מן הלבן ובן אמר הכתב אל תרא יין כי יתאדם וגו *Hac de cauſſa quoniam vinum rubrum magis laudatur, quam album; ſic enim dicit Scriptura:* Ne videas vinum quoniam rubet.

Et ſane! quoties de Chriſto & ejus merito ac paſſione ſermo eſt, & vini ſimul fit mentio, toties *vini rubri* ſcriptura meminit. *Geneſ. XLIX. 11. Lavabit,* Meſſias, *in vino indumentum ſuum* ובדם ענבים *& in ſanguine uvarum veſtem ſuam.* B. Georgius Calixtus in *Expoſit. literali in Geneſ. pag. CLXVI.* breviter quidem, ſed abſolute ſcribit: *Omne muſtum, omne vinum ſangvis, ſive ſuccus eſt uvarum: peculiariter tamen rubro vino, quale iſta terra protulit,* ſangvinis *adpellatio convenit.* Prov. XXIII, 31. *Eſaiæ* LXIII. qui locus commode adducitur, quippe qui Chriſtum ſiſtit ut uvarum calcatorem. Quum vero indumentum ſit rubrum ex vino, vel expreſſo muſto: & rubrum fuerit vinum, neceſſe eſt. Confer S. Ambroſium *libr. de Benedict. Patr. Cap. IV.* Cyrillum Alexandrinum *libr. V. in Eſaiam.* Et Venantium

Honorium Fortunatum *libr. IIX. Eleg. V.* ſic modulantem:

Qui venit de Edom de Boſra veſte cruenta
Pulcher ſangvineus, candidus atque ruber.
Calcaturus erat qui ſolus torcular altum
In cruce penſandus membra cruore lavans;
Vnde ſibi miſta eſt toga candida tincta rubore.

Quinimo, Valentinus Schindlerus in *Lexico Pentaglotto fol. CCCXCVII.* *Vinum*, eucharisticum putat, inquit, *audit ſangvis ob rubedinem, cujusmodi fuit in terra ſancta.* Quæ Schindleri opinio mihi ſatis incommoda ſemper viſa fuit. Etſi enim inficias ire non poſſimus, Vinum nomine דם *Sanguis* venire & apud LXX. *Geneſ.* XLIX. 11. Ἐν αἵματι σταφυλῆς, *in ſangvine uvæ.* Et *Deut.* XXXII. 14. Καὶ αἷμα σταφυλῆς ἔπιεν οἶνον. *Et ſangvinem uvæ bibit vinum*, ubi οἶνον exegeticum eſt prioris, exſtare Heſiodum quoque canere: βοτρύων δρόσῳ αἱματοέντι,

Vvarum bene calcatarum ſangvine rore.

Achillem Tatium *libr. II.* Vinum vocare: αἷμα βοτρύων, *Sangvinem uvarum.* Et Latinos, Caſſiodorum XI. *Vvarum frigidus ſangvis*, aliosque plures uti. Confer Samuelem Bochartum *libr. II. Hieroz. Cap. XXVII.* Nihil minus tamen ſtatuendum fuerit cum Schindlero, in verbis cœnæ Dominicæ inſtitutionis vinum dici ſangvinem *ob rubedinem.* Quod ſi hoc, *ſangvis* non erit, ſi vinum, vel album, vel aureum colorem referat?

ferat? Quorſum hoc? Alia ratio adpellationis eſt, quæ realem ſangvinis præſentiam Chriſti & unionem ſacramentalem ſangvinis Chriſti cum vino, Paulo κοινωνίαν dictam, indigitat. Interim haud incertum eſt, Chriſtum *vinum rubrum* adhibuiſſe. Confer Danielem Claſenium *libr. I. Exercit. in Paſſ. Domin. Cap. VII.* Caſparem Sagittarium *libr. I. Hiſtor. Paſſionis Cap. XIII. 25.* τῶν μαθητῶν Antonium Bynæum *libr. I. de Morte Chriſti Cap. IIX. pag. DCXLIX.* Vt alios modo ſilentio prætercam.

Ibidem §. *In eccleſiis.* p. 98.

Neſcio an eo quoque pertineant *pocula vitrea*, quibus cum Judæi, tum Græci in copulæ actu neonymforum uti ſolent, quæ ad lapidem colliſa confringere ſolent. Proſequitur hunc ritum Thalmud in *Beracha Cap. V.* Johannes Buxtorffius eumdem ritum ediſſerit in *Synagoga Judaica Cap. XXVIII.* Rationem ejus fracturæ putat memoriam deſtructi templi Hieroſolymitani. Alii vitæ fragilitatis. Nam, ut eſt citato *Tract. fol. XXXI.* יומא חד בכמא דמוקרא ולמחר ליתבר *Poculi vitrei uſus eſt unius diei, & cras confringitur.* Eo tendit quoque R. Modena in *Coſtumes des Juifs Part. IV. Chap. III. Apres quoy le vaſe eſtant uuide, on le donne à l'epoux, qui en le jettant à terre de toute ſa force, le met en pieces, afin de méler dans la*

reioñiſ-

rejoüiſſance une idée de la mort, qui nous briſant comme un verre, nous apprend à ne nous point enorgueillir.

De Græcis pari modo conſtat. Petrus Arcudius arbitratur, *communionis euchariſticæ* cauſſa calicem illum neonymfis eſſe porrectum. Negare quidem non poſſumus, OBLATIONES NUPTIALES in primitiva eccleſia, inter alia obtinuiſſe; Hinc Tertullianus *libr. II. Ad Uxorem Capit. IX. Tom. II. Unde*, ait, *ſufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renunciant, pater rato habet.* Jacobus Pamelius in hl. *Notis LXI.* de *Sacrificio*, miſſæ, ſine dubio hæc Tertulliani accipit. Quemadmodum vero vara vibiam, ſic Baronius Pamelium in eo ſequitur. *Miſſæ, ſacrificium*, inquit, *inſinuat.* Gabriel Albaſpinæus in *Notis ad Tertull. libr. II. ad Uxor. pag. CCCCLV.* eamdem cum ſociis tibiam in hac cauſſa inflat.

Sed, fallunt & falluntur. Ignorat eccleſia illud incruentum ſacrificium antiqua. Nec illud OBLATIONIS nomine ullibi Patribus venit. De Pane & vino in uſum Cœnæ Dominicæ, Sacerdotum & pauperum alimentum & ſubſidium oblatis uſurpari

Vide Gabrielem Albaſpinæum in *Obſerv. Eccleſ. Cap.* V. Juſtinum Martyrum *Apolog.* II. B. Joachimum Hildebrandum de *Offertoriis pro Defunctis Cap.* IV. & V. Hodierni Græci, veterum imitatione vocant προσφορὰ Vide Herbinium de *Cryptis Kijovienſibus Cap.* X. Carolum du Freſne in *Gloſſ. mediæ Græcit.* verbo προσφορά.

pari, certiſſimum eſt. Quandoquidem vero hæc modo memorata oblata ſine dubio omni ſint, probabile eſt, etiam neonymſos cum cæteris convivis ſacroſancta eucharitia uſos eſſe. Vnde etiamnum hodie obtinet, neonymſos cum parentibus & reliquis cognatis ante nuptiarum ſolemnitates ſacroſanctam menſam adire. Hanc meam ſententiam confirmare videtur Evariſtus Papa *Epiſt. ad Epiſcopos Africæ*, inquiens: *Aliter legitimum non ſit conjugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam feminam dominationem habere videntur, & a quibus cuſtoditur, uxor petatur & a parentibus & a propinquioribus ſponſetur & legibus dotetur & ſuo tempore ſacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur.* Baronius cl. quod docuimus, ſua auctoritate confirmat. Citat eo nomine S. Tertullianum *Cap. XI. de Monogamia*. Sed, non intelligo, quomodo hoc ex eo loco effici poſſit? Videtur Baronius ſuo ingenio recepto more, abuſus. Beatus Rhenanus in *Notis ad hl.* aliter explicat. Aliter Albaſpinæus in *Not. ad hl.* *Vnum illud*, ait, *monere poſſum, de Euchariſtia illic mentionem non eſſe* --- Et denuo ſcribit: *Non video quomodo ſermo de Euchariſtia potuerit intervenire, aut qua ratione de ea loquutus eſſet.*

Prior ille Tertulliani locus luculentior & firmior eſt ad ſtabiliendum id, de quo ſermo cæditur. Ea commotus ratione ſcribit

bit D.Hildebrandus de *Nuptiis Veterum Chriſtianorum* N. 3. *Conſentio de Oblatis nuptialibus euchariſtiam confectam, imo hinc puto conſvetudinem, qua apud nos Sponſi una vel altera Hebdomade prius, quam copulantur, ad S. communionem accedunt, & uſu S. euchariſtiæ ad imminentes nuptias ſeſe præparant, ut Deum futuris nuptiis propitium inveniant.*

Verumenimvero, an hic Calix eum in finem apud Græcos in nuptiis exhibitus, merito dubitatur. Simeon Theſſalonicenſis negat. Inſerviiſſe tradit *indiviſi convictus ſocietati, & communi omnium bonorum poſſeſſioni.* Vitreus autem ille calix deinceps fractus perhibetur. Goar id ideo factum dicit, *ne in profanos uſus verteretur.* Agnoſcit ergo Monachus hoſce calices ſacros. Sed, Chriſtophorus Angelus de *Hodierno Græcorum Statu*, Euſtratius Johannides Zialowskus in *Brevi Delineatione Eccleſiæ Orientalis Græcæ*, de eo ne verbum quidem. Metrophanes Critopulus in *Confeſſione Cap. XII.* poculi quidem benedictioni nuptiali inſervientis mentionem facit, ſed, neque de ejus fractione, nec de quoquam alio ab aliis relato, vel tantillum differit. Audiamus quæſo! Τελευταῖον δὲ ποτήριον κοινοῦ οἴνου τούτοις ὀρέγει. ἐξ οὗ βραχὺ πιόντες, οἴκαδε χωροῦσι τῆς τοῦ γάμου τελετῆς πέρας λαβούσης. *Tamdem vero poculum vini vulgaris ipſis porrigit. Vnde ubi aliquantulum hauſerunt, domum ſe conferunt, ritu nuptiali ita*

jam

jam finito. Hæc ſunt, quibus Critopulus eum ritum nuptialem nobis deſcribit.

Interim alii fuſius eum ediſſerunt, calicem illum ſuo nomine nuncupando ποτήριον κοινὸν. *Poculum commune.* Conciliatur huic auctoritas ab *Euchologio fol. CCCXCII.* Εἶτα προσφέρεται τὸ κοινὸν ποτήριον, καὶ εὐλογεῖ αὐτὸ ὁ ἱερεὺς, καὶ λέγει τὴν εὐχὴν ταύτην --- εἶτα λαβὼν ὁ Ἱερεὺς ἐπὶ χεῖρας τὸ κοινὸν ποτήριον, ὃ μεταδίδωσιν αὐτοῖς ἐκ γ΄ πρῶτον τῷ ἀνδρὶ, καὶ αὖθις γυναικί. *Deinde adfertur poculum illud commune, & illi benedicit ſacerdos, & hanc orationem dicit --- Deinde accipit Sacerdos* commune illud *poculum in manus, quod tradit illis ter, Primum viro, deinde mulieri.*

In *Euchologio Cryptoferrat.* hæc paulo diſtinctius propoſita inveniuntur. Εἶτα δίδωσι τῷ ἀνδρὶ πίνειν, αὐτὸς κατέχων τὸ ποτήριον, καὶ αὖθις τῇ γυναικὶ, καὶ ποιοῦσι τοῦτο ἕως τρίτου, καὶ ἀποδίδωσι τὸ ποτήριον τινι, ἢ ὥς ἔνιοι, κλᾷ, καὶ οὕτως ἐξέρχονται. *Deinde det viro bibere, ille tenet poculum, & deinceps tradit mulieri, hoc faciunt ter, & reddunt poculum illud alicui, & poſtquam ſimul, frangit, & ſic abeunt.* Carolus du Freſne in *Gloſſario mediæ Græcitatis fol. MCCX.* ποτήριον κοινὸν exponit: *Poculum vitreum vino plenum, quod inter nuptiarum ceremonias Sacerdos nubentibus ter propinat, quo ritu exacto confringitur.* Confer Petrum Arcudium *libr. VII. de Concordia Cap. XXXII.* Matthæum Zimmermannum in *Analectis*

Menſe

Menſe II. Cap. VII. Ad euchariſticum calicem proprie dictum eum non quidem pertinere arbitror, quamdoquidem vero Arcudius referat, ego illud referre volui.

Ad Caput X. pag. 117.

§. *Id quod.*

Helgaudus in Roberto Rege Franciæ ejuſcemodi ſcyphi pari modo meminit, inquiens: *Erat huic ornamento adjunctus ſcyphus corneus, quo deferebatur vinum ad celebrandum ſacrificium.* Non formaliter quidem hic intelligitur per *Scyphum corneum* calix euchariſticus, ex quo vinum benedictum populo eſt in cœna Domini porrectum, quemadmodum ex circumſtantiis liquet. Interim & huc ſuo modo ſpectat.

In gentium delubris cornuum uſum obtinuiſſe, extra dubium erit. Ex iis in ſuis ſacris biberunt & Diis Deabusque libarunt. Sic Vandalorum Svantevit ampliſſimum cornu erat ſacrum, vino plenum, quod ſuis manibus tenebat, ex quo Flamen anni indolem ominabatur. Vide Saxonem Grammaticum *libr.* XIV. de *Vita Waldemari pag. CCCXX.* Erpoloum Lindenbruch *pag. LXXI.* In templo Stetinenſi ejus generis cornua ſacra deaurata numero ſeſe obtulerunt. Confer Johannem Stephanum Stephanium *Notis in Saxonem libr. XIV. fol. CCXLV.* Trogillum Arnkiel de *Cornu aurea Part. I. pag. XXI.*

Ad

Ad §. *ult.* ibidem.

Variarum materiarum Calicum auctor mentionem fecit, quorum uſus in ſacroſancta euchariſtia frequens & inſignis, ſed HUMANA CRANIA ſilentio præteriit. Hæc CALICUM EUCHARISTICORUM vices nullibi obiiſſe leguntur. Et, ſi CORNEI CALICES ab euchariſtia ſunt proſcripti, ob cauſſam in Calcutenſi Synodo adlatam: multo magis HUMANA illa CRANIA. Hæc quippe pocula moratioribus populis faſtidio fuere gentilibus, multo magis Chriſtianis, a quibus numquam in uſum poculorum recepta leguntur.

Quod adtinet populos horridiores

genuit quos Caucaſus horrens
Et queis crudeles admorunt ubera tigres,

non poſſumus non profiteri, eos illis CALVARIIS loco CALICUM uſos eſſe. De Scythis illud ipſum relatum exſtat apud Herodotum *libr. IV.* Αὐτὰς δὲ τὰς κεφαλὰς οὔτοι πάντων, ἀλλὰ τῶν ἐχθίστων ποιεῦσι τάδε, ἀποπρίσας ἕκαστος πᾶν τὸ ἔνερθεν τῶν ὀφρύων ἐκκαθαίρει, καὶ ἢν μὲν ᾖ πένης, ὁ δ' ἔξωθεν ὠμοβοέην περιτείνει, ἔσωθεν δὲ περιχρυσώσας οὕτω χρέεται ποτηρίῳ. *Non tamen de omnium, ſed de inimiciſſimorum capitibus hoc faciunt, ut quisque illud, quod eſt infra ſupercilia, reciſum prorſus excutiat, & crudo tantum bovis corio, ſi pauper ſit, ſi dives, non modo exterius inducat bovino corio, verum etiam interius inauret & ſic uterque pro* poculo

poculo utatur. Id quod etiam tradit Johannes Boemus de *Legibus & Ritibus gentium libr. II.* De Tartaris adhuc notum eſt. De Vngaris Antonius Bonfinius narrat 1. *Dec. libr. I. fol. XX.* Confer Paulum Diaconum *libr. I. Geſtor. Longobardic. Cap. XXVII.* De Eſſedonibus vide Solinum in *Polyhiſtore Cap. XIX.* Demſterum *ad Roſinum libr. V. Antiq. Cap. XXX.*

Ad Caput XI. pag. 127.
§. *De Corona* &c.

Heic commemorare nec intempeſtivum fuerit, quod legitur *Act. XIX. 24.* Ἀργυροκόπος ποιῶν ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος. Quid ναοὶ ἀργυροὶ, inter eruditos controverſioſum eſt. Sunt, qui Dianæ in urbe Epheſo cultæ ſimulacra ſuo nomine Μνημεῖα dicta, interpretantur. Quo inclinat Caſpar Sanctius *Comment. in hl.* Præiverat B. Arias Montanus, qui *imagines argenteas* effert. Æthiops non aliter, prout eſt apud Ludovicum de Dieu, *Notis in hl.*

Beza putat, numos fuiſſe templum Dianæ referentes. Sed, ubinam illi? Plures ſane! eorum ex oriente ad nos pervenere, ſed, ejus monetæ nullus in pulverem & ſolem, quantum ego quidem memini, prodiit.

Cum Doughtejo, Johanne Pricæo, Eraſmo Roterodamo, Caſaubono, Balduino Walæo & aliis ναοὺς ἀργυροῦς ego accipio de

ædicula ad formam templi Dianæ expreſſa, imagunculam ejus Deæ in ſe continenti ac monſtranti. Hæ ab aurifabris Epheſinis magno numero conficiebantur, nec ſolûm in ædibus privatis ſtabant, aut in itinere circumducebantur, ſed parvulæ quoque a collo ſuſpenſæ cernebantur, ceu fieri ſolet cum aliis rebus pretioſis & ſacris. Sic Monachi Græci Sepulcrum Chriſti ad ſuam formam parvulam & exiguam redactum non modo ſancte demonſtrant & contemplandum exhibent, ſed aliis quoque, ut rem ſanctam offerunt, qui illud ſecum ducunt, & venerantur. Tales ædiculæ ex auro & argento fuere, quæ magnum lucrum aurifabris pepererunt.

De majoribus, quod dixi, teſtimonia, quæ in promtu ſunt apud Herodotum *libr. I. Cap. CLXXXIII.* confirmant. Εστι δὲ τοῦ ἐν Βαβυλῶνι ἱεροῦ καὶ ἄλλος κατὰ νηὸς, ἔνθα ἄγαλμα τοῦ Διὸς ἐνὶ κατήμενον χρύσεον. *Porro in Babylonis templo aliud etiam eſt ſacellum quod magnam habet Jovis ſtatuam, eamque auream.* Libro II. *Cap.* LXIII. de Iſidis templo aliud fit obviam.

De minoribus apud Diodorum Siculum *Libr. XX.* argumentum exſtat. Ὁ ἀετὸς ὠνομασμένος —— ἔστι δὲ νεὼς μικρὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἐνιδρύεται. *Aquila,* Romanis *ſic dicta, eſt exigua quædam Sacelli effigies, inque ea aurea aquila eſt collocata,* Dio *Libr. XL.*

&

& Xiphlinus in *Pompejo*. Meminit hujus Cicero in *Orat. I. in Catilinam* & ſimul in II, ediſſerit.

Dicuntur Ariſtotelis interpreti, vel Scholiaſtæ ad *libr. I. Rhet. Cap. XV.* Εἰκονασκίσια, *Capellulæ cum imaginibus incluſis*. Philo *Sap. XIII.* 15. effert οἴκημα. Johannes Lorinus vertit: *Ædiculam*, prout ea voce utitur Petronius, inquiens: *Præterea grande armarium in angulo vidi, in cujus ædicula erant lares argentei.* Juvenalis *Satyr. IIX.*

Siquod ſpectabile ſignum
Siquis in ædicula Deus unicus.

Apulejus *libr. III. Mileſ. In ipſo fere meditullio Hipponæ Deæ ſimulacrum reſidens ædiculæ, quod accurate corollis roſeis equidem recentibus fuerat ornatum.* Juſtus Lipſius expuncto *ædiculæ* legit, *ſediculæ*, ſed doctiſſimus Johannes Pricæus *Notis in Acta Cap. XIX.* & Johannes Brantius *Notis ad Apulejum pag. XCIV.* dicam eo nomine ipſi ſcripſerunt.

Sancti Patres earum ædicularum pari modo meminerunt. S. Tertullianus de *Idololatria* ſic ſcribit: *Si templum, ſi aram, ſi ædiculam ejus inſtruxeris.* Arnobio *libr. VI.* audiunt: *Tuguriola, Conclavia, Cellulæ.* Minucius Felix in *Octavio pag. CCCXIII. Intra unam ædiculam*, inquit, *vim tantæ majeſtatis includant?* Adi Jacobum Ouzelium ad *hl.* In Inſcriptione Arciſatenſi apud Janum Gruterum dicitur, *Tectum*. Et *libr. eod. fol.*

LIV. num. XI. Tegulitia. Adi de loco ipſo etiam Carolum Mariam du Veil in *Actis Apoſtolorum explicatis in Cap. XIX.*

Ad CAPUT XIII. pag. 163.

§. *Hinc adparet.*

De hiſce CALICIBUS MINISTERIALIBUS Georgius Caſſander in *Conſultat. ad Auguſtanam Confeſſionem Artic. XXII.* ſic ſcribit: *Nequeo ſane! ſatis mirari Johannem Eccium, virum alioquin & inſigni memoria præditum, qui in Apologia Principum Catholicorum ſcribat, ſe non meminiſſe legere, in Eccleſia Romana eucharistiam ſub utraque ſpecie communicatam Laicis; niſi quod argumentum ſumi poſſit ex vita S. Laurentii. Mirum, ſi non meminerit Calicum miniſterialium in Eccleſiis urbis Romæ, quorum in libro Pontificali ſubinde fit mentio, quos ita vocatos fuiſſe, quod ex iis populo Sangvis Dominicus miniſtraretur, vel ex ſuo Cajetano cognoſcere potuiſſet.*

Johañes Baptiſta Caſalius de *Veter. Chriſt. Ritib. Cap. X. Serviebant huic negotio*, communionis ſub utraque, *miniſteriales calices, quod iis Chriſti ſangvis miniſtraretur.* En! quanta vis veritatis.

Hos ſine dubio intelligit Princeps Anhaltinus *Concione II. de Sacramento altaris fol. CXCV. Etiam Laicis*, inquit, *porrectum eſſe calicem teſtantur ampliſſimi calices, in multis monaſteriis qui reperiuntur, baſilicis, & parochialibus templis, quorum aliqui etiam anſas habuerunt, ut*

in

in communione populi commodius adprehendi & teneri poſſent: Sicut talem & hic Marsburgi adhuc habemus. Tali forma & amplitudine, quid fuiſſet opus, ſi pro ſolis facti eſſent Sacerdotibus.

Ad Caput XVI. pag. 191.

§. *Pictura*

Antiquitatum ſtudioſiſſimus Pater S. Tertullianus *libr. de Idololatria Cap. III.* aliquot artes memorat, quarum benificio imagines & idola facta ſint. Verba ejus hæc ſunt: *Exinde*, inquit, *jam caput facta eſt idololatriæ ars omnis, quæ idolum quoquo modo edit. Neque enim intereſt, an plaſtes effingat, an cælator exſculpat, an Phrygio detexat: quia nec de materia refert, an gypſo, an coloribus, an lapide, an ære an argento an filo formetur idolum.* Ex quo manifeſti fiunt modi, quibus imago, vel idolum perficitur. Quem Tertulliani locum ſi penitius cognoſcere volueris, age! Jacobum Pamelium adeas, qui deſiderio tuo ſatisfaciet.

De imaginibus CALICIBUS ſacris inducendis locus etiam exſtat in Concilio Nicæno II. *Act.* IV. & *Actu* VII. *Definimus, ſicut figuram pretioſæ & vivificæ crucis, ita venerabiles ac ſanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus & teſſellis, quam quæ ex alia materia congruenter, in ſanctis Dei eccleſiis & ſacris vaſis, & veſtibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis tam videlicet imaginem Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quam intemera-*

tæ Dominæ noſtræ, Jeſu Chriſti genetricis honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum, ſimul & almorum virorum. Quod de CRUCE diximus, in hoc quoque loco confirmatum exſtat. Confer Martini Chemnitii *Examen Concilii Tridentini Part. ult. fol. XXX.* & ſeqq.

Scilicet, primitiva eccleſia uſum imaginum nullo modo reſpuebat; ſed eum magnifacere, in more ipſi poſitum erat. Id nec Doughtejus, nec alii ejusdem fidei ſocii negare audent. Opera muſiva, ἐκ ψηφῖδος, iisdem quoque placebant, dicta Sophronio Patriarchæ Hieroſolymitano χρυσεργῶν ψηφίδων συνθέσεις, *deauratorum lapillorum, ſeu calculorum compoſitiones.* Tales erant in templo Blachernenſi Deiparæ virginis, quas Conſtantinus Copronymus obliteravit, ut eſt in *Vita S. Stephani Junioris.* Sed, de hiſce plura ediſſerere, non eſt noſtri inſtituti. Johannes Ciampinus Italus, illuſtriſſimum Opus de iis edidit titulum hunc præ ſe ferens: *Vetera monimenta, in quibus præcipue Muſiva opera; ſacrarum profanarumque ædium ſtructura ac nonnulli antiqui ritus diſſertationibus iconibusque illuſtrantur;* hoc conſulatur. Confer etiam Jacobum Gretſerum *libr. I. Rerum variar. Cap. IIX.* De hodiernorum Græcorum vide Monſieur Ricaut in *Hiſtoire de L' Eſtat preſent de L' Egliſe Grecque Chapit. XVII.*

XVII. pag. CCCXXX. ubi varietatem materiei imaginum proponit.

Ad Caput XVIII. pag. 200.

§. Huic adfinis

Obtinuit aliquando mortuis euchariſtiam dare, & ejus particulas cum iis ſepelire. Id Cuſanus quoque animadvertit *Epiſt. VII. ad Bohemos pag. DCCCLIV. Alii,* inquit, *mortuis infuderunt euchariſtiam.* Animadvertit illud ipſum Gabriel Albaſpinæus *libr. I. Obſerv. IX.* Quamvis vero nonnulli de eo dubitare velint, Canones tamen, quibus ea conſvetudo cavetur, omnino obſtant.

Concilium Carthaginienſe año cccxcvii. celebratum ei mori jugulum & nervos incidit, *Canon. XXVIII.* Εάν τις Κληρικὸς χειροτονεῖται, ὀφείλει ὑπομιμνήσκεσθαι τοὺς ὅρους φυλάττειν. Καὶ ἵνα τοῖς σώμασι τῶν ἀποθανόντων εὐχαριστία μὴ δίδωται μηδὲ βάπτισμα. *Siquis Clericus ordinetur, debet admoneri ut ſervet decreta, & ut mortuorum corporibus euchariſtia non detur, nec baptiſmus.* Occurrit hic Canon *Diſt. XXXVIII. Placuit Di LXXVII. Placuit XX. Q. 1. Placuit,* Balſamo Scholiaſta in *Scholiis fol. DCXXVIII.* adſerit hoc factum: Επράττετο τοῦτο. *Hoc fiebat.*

In Concilio Conſtantinopolitano VI. *Canon. LXXXIII.* pari modo ſancitum legimus: *Nemo cadaveribus mortuorum euchariſtiam impertiatur, ſcriptum eſt; Accipite comedite. Cadavera nec accipere valent, nec comedere.*

Bartholomæus Caranza non habet, quod de hoc loco moneat. Conſentit *Canon Concilii Antiſſiod. renſis* in Gallia DLXXVIII. habiti. *Non licet*, inquit, *mortuis nec euchariſtiam nec oſculum tradi, nec velo, nec pallis corpora eorum involvi.* In *Canone Africano* hæc habentur: Μηδεὶς τοῖς σώμασι τῶν τελευτέντων τῆς εὐχαριστίας μεταδιδότω. Ad quem locum Zonaras ſic ſcribit: Ἔθος ἦν παλαιὸν μεταδίδοσθαι τοῖς νεκροῖς σώμασι τῶν τελευτησάντων τοῦ σώματος, καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου. *Antiquæ conſvetudinis fuit corp⁹ & ſangvinem Domini mortuorum corporibus impertiri.* Balſamo ad *Synodum VI. in Trullo Can. LXXXIII.* Εἴθιστο γοῦν πρὸ τῆς συνόδου ταύτης παρά τισι, μεταδιδόναι τῶν θείων ἁγιασμάτων, ταῦτα γὰρ εὐχαριστίαν οἱ πατέρες ὠνόμασαν, σώμασι νεκροῖς. Τοῦτο οὖν κωλύοντες οἱ πατέρες, διωρίσαντο μηκέτι τοιοῦτον τὶ γίνεσθαι. *Ante hanc ergo ſynodum, mos erat nonnullis, divina Sacramenta, ea enim Patres euchariſtiam nominavere, corporibus mortuis impertire. Patres ergo hoc fieri prohibentes hoc non ſibi amplius faciendum decreverunt.*

Sunt, qui hoc numquam factum putant. Sed, qui citati canones, ſi aliter fuiſſet, conſtituti eſſent. E malis moribus bonæ leges. Alii non ſolum adſerunt, verum etiam ad exemplorum auctoritatem provocant. Sic Amphilochius de Baſilio magno in ejus *Vita Cap. VI.* refert, quod de Synaxi *fecerit particulam una ſecum ſepeliendam conſervari.*

Combe-

Combefiſius ſeculo IV. tale quid frequentatum eſſe in *Notis ad Baſilium fol.CCLXVII.* adnotavit. Idem putat Goar *Not. XXXII. in Præſ. Offic. Euctor. pag. CCIIX.*

Verumenimvero, ne verbulum quidem commutant de eo, qui Baſilii vitam deſcripſere, Gregorius Nazianzenus, Nyſſenus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Feciſſent autem ſine omni dubio, ſi tale quid a Baſilio magno factum fuiſſet. Quid? quod Amphilochius ille non genuinus, ſed, plane ſuppoſititius ſit, prout animadvertit Bellarminus de *Script. Eccleſ. ad annum CCCLXXX.* Confer Antonium Poſſevinum in *Adparatu* S. Cæſarem Baronium ad *annum Chriſti CCCLXXVII. num. X.*

Hoc tamen ſequiori ævo factum, confirmant exempla a Doughteio in medium adlata. Ratio facti non eſt una, ſed alii hanc, alii aliam prætendunt. Balſamon d. putat, id factum in gratiam dæmonum a ſepulcris propulſandorum. Gabriel Albaſpinæus eam in diſciplina eccleſiaſtica veterum quærit *libr. I. Obſerv. Cap. IX.* Cui punctum ſuum fert Johannes Dallæus *libr. VII. de Cultibus relig. Cap. XXIX.* Noſtrum vero non eſt, in id amplius inquirere, ſed ejus inſtituti iniquitatem merito agnoſcere, ex qua Tigurina eccleſia paullo ante reformationem adhuc pependerit, prout Henricus Bullengerus refert adverſus Cochlæum *Cap. XXIX.*

fol. LXII. Quod merito noſtrates ſumme improbant ad formam & normam Conciliorum ſupra jamtum laudatorum, Gerhardus LL. *Tom. V.* Et in *Iſagoge pag. MCXCVII.* Hildebrandus in *Offertorio Cap. IIX. §. VI, VII.* Zimmermannus in *Non naſcuntur* &c. *pag. CCCXXXI.* Konigius in *Theologia Caſuali de Cœna Domini* ut alios taceam.

Ad Caput XIX. pag. 204.

§. *Id ſane!*

Johannes Mabillon *libr. II.* de *Re Diplomatica Cap. XXII.* hujuſmodi inſcriptiones *ex ſangvine Chriſti USITATAS* pronunciat. §. XXI. hæc adfert: *Hoc loco prætermittere non poſſum inſigne factum quorumdam, qui ut horrore ipſo ſanctior ac ſolemnior eſſet rerum tranſactarum fides, atramentum pretioſo Chriſti ſangvine dilutum in ſubſcriptionem adhibuerunt, quod intelligendum puto maxume de SIGNO CRUCIS.*

Quod de SIGNO CRUCIS Mabillon adfirmat, id non de nihilo. Eo quippe non epiſtolæ tantum, verum etiam diplomata & inſtrumenta publica non ſolum ab initio, ſed etiam in fine inſigniebantur. Quamobrem in V. *Synodo Conſtantinopolitana Tom. II. Act. I.* hæc leguntur: *Stephanus Presbyter & Prior monaſterii de Conſta rogatus ſubſcripſi manu Jacobi Diaconi, qui ſcripſit ſecundum commiſſionem meam, & ego protendi manu mea venerabilem crucem.* Apud Ingulphum

phum exſtat Diploma, in quo aliquoties repetitur: *Iſtud Regium Chirographum meum* &c. *coram fratribus* &c. *ſanctæ crucis munimine confirmavi* ✠ & denuo: *Ego Ethelbertus H.* Refordenſis Epiſcopus *crucem meam feci.* ✠. Confer Franciſcum Bernardinum Ferrarium de *Antiq. Eccleſ. Epiſt. genere libr. III. Cap. III.* Jacobum Gretſerum *libr. II. de Cruce Cap. XVIII.* Cujacium in *Paratit. libr. I. Cod. tit. IIX.* Balſamon in *Canon. XIII. Synod. Carthag.* Carolum du Freſne in *Gloſſario mediæ Latin. MCCLXXVI.* Quin imo, inſcriptiones Sepulcrales veteres Chriſtiani a ✠ inceperunt. Talis eſt, quæ in loculo S. Cyri in lamina plumbea inventa eſt Genevæ:

Hoc vocant σαυρὸς ποιεῖν. Vide Leonis *Novellam* LXXII. Nicetam Epiſcopum Theſſalonicenſem in *Reſp. pag.* CCCXLVII. Confer Carolum du Freſne in *Gloſſario mediæ Græcit. fol.* MCCCCXXIV.

✠ M. S. HIC REQVIESCIT CORPVS SANCTI SVRI EPISCOPI JANVENSIS. OBIIT. III. KAL. JVLII. FILIVS. ÆMILIANI.

Apud Baronium in *Adpendice ad Annum Dn. XLIV. Tom. VII.*

✠ IN HOC TVMVLO
JACET FAMVLVS DEI
GREGORIVS QVI VI
XIT ANNOS. PL. MIN.
L—— RECESSIT IN PACE
ΔII. NONAS. FEBR
ERA ~DLXXXII.

Confer etiam Paulum Aringhum, virum curioſiſ-

curioſiſſimum, *libr. II. Romæ Subterraneæ Cap. II. pag. CLXXXVII.*

Ibidem §. *Hic Calix* &c. pag. 208.

Bene! in eum modum Dougtheius. Melius Dn. Henricus Rixnerus de *Inſtituto veterum Chriſtian. circa Euchariſtiam Cap. IIX. §. XI. Introduxerunt Pontificii dogmate tranſubſtantiationis abrepti ignotum veteri eccleſiæ morem propinandi Laicis poſt ſumtum panem poculum viri non conſecrati,* ad abluendum os & ad hoſtiam facilius deglutiendam, *ut habet manuale Sodalitatis B. Mariæ Virginis Cap. V. Part. II. & ut nulla ejus pars in palato aut dentibus maneat, quæ ſpuendo emittatur* , dicente Alfonſo Toſtato *Paradoxo II. Cap. XXIII.* Nauſeam equidem! adpellatio hujus poculi, der Spüell-Kelch audientibus parit. De eo genere *Calicis* Italus ille, aliquoties citatus, qui hodie nominis ſui famam in Germaniam noſtram nonnullis libris ad antiquitatem ſpectantibus tranſmittit, Johannes Ciampinus, in *Conjecturis de Azymorum uſu Cap. IIX. fol. CLXXXIX.* & ſequentibus videatur , qui de eo multis diſſerit. Confer B. Georgium Calixtum in *Diſput. de Commun. ſub una §. XXXVIII.*

Nauſeabunda verba de hoc calice ablutionis invenio apud Jeſuitam Franciſcum Ariam in *libro de Frequenti uſu & utilitate SS. Confeſſionis & Communionis Cap. XVII. pag. C. Sunt autem,* inquit, *ejus modi, quum poſt communionem*

